C.R. BIBLIOTHECA UNIVER. JAGELL. CRACOVIENSIS
239
Czasopisma

V
B J
C
239
II

LAVRENTII MIZLERI de KOLOF
PHILOS. ET MED. D. IN SERENIS. REGIS POLON. AVLA CONSILIARII ET MEDICI REGNI POLONIÆ HISTORIOGRAPHI ACADEMIARVM, IMPERIALIS FRANCISCANÆ AVGVSTÆ VINDELICOR. CONSILIARII ELECTORALIS MOGVNTINÆ SCIENTIARVM VTIL. NEC NON SOCIET. SCIENTIAR. MVSICAR. IN GERMANIA SOCII HVIVSQVE SENIORIS.

ACTA LITTERARIA REGNI POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ

ANNI MDCCLVI
TRIMESTRE PRIMVM



CVM SERENISSIMI REGIS POLONIARVM PRIVILEGIO

VARSAVIÆ
EX TYPOGRAPHIA SAC. REG. MAI. MIZLERIANA

Z DUPLIKATÓW BIBLJOTEKI X.X. CZARTORYSKICH

SVMMA CAPITVM

I. DAVIDIS BRAVNII dissertatio de legis famosae *quamuis &c.* ratione poenae homicidii non capitalis, in regno Poloniae, moderata exculpatione.

II. STANISLAI KARNKOWSKI, archiepiscopi Gnesnensis, commentatio de primatu senatorio regni Poloniae.

III. Vita IOANNIS PRZEREMBSKI, archiepiscopi Gnesnensis XLVIII, auctore NICOLAO BVSENSCIO.

239 / II 02

IV. Catalogus comitiorum, sub IOANNE III. Poloniae Rege, celebratorum.

V. Tentamen historiae de vita ANDREAE DVDITHII, auctore CAROLO BENI. STIEFIO, gymnasii Elisabeth. Vratislauiensis professore.

BIBLIOTHECA JAGELLONICA

VI. Collectionis magnae omnium historiarum scriptorum Poloniae & magni ducatus Lithuaniae, quotquot ab initio reipublicae Polonae ad nostra vsque tempora, extant omnium scriptores quatuor: I) POMPONII MELAE descriptio Sarmatiae, cum commentariolo IOACHIMI VADIANI. II) AENEAE SILVII, postea summi Pontificis PII II, relatio de Polonia, Lithuania & Prussia. III) ERASMI STELLAE libri II de Borussiae antiquitatibus. IV) MATTHIAE STRIYKOWSKI Sarmatia Europaea, *e recensione Mizleriana.*

VII. Catalogus professorum Vilnensis et Zamoiscensis Academiarum.

VIII. Noua litteraria Polonica.

CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
IOSEPHO ALEXANDRO
DE PRVSSIIS S.R.I. PRINCIPI IN IABLONOW
ET LACHOWICE
COMITI IN ZAWALOW ET LISIANKA
LIBERO BARONI IN PODCHORCE ET VICHOLZ
IABLONOVIO
PALATINO NOVOGRODENSI
NEC NON
CORSVNENSI DZWINOGRODENSI VOLPENSI
ONIXTINENSI ZAGOSTENSI CAPITANEO
ORDINVM STI SPIRITVS STI MICHAELIS
ET STI HVBERTI PALATINI RHENI EQVITI
COHORTIS LORICATÆ MILITVM TRIBVNO
RELIQVÆ
MÆCENATI
MVSARVM POLONARVM PATRONO
BENIGNISSIMO
PROTECTORI AC FAVTORI SVO OPTIMO
ACTA HVIVS ANNI LITTERARIA POLONIÆ
D. D. D.
LAVRENTIVS MIZLERVS

CELSISSIME PRINCEPS,
MÆCENAS MUSARUMQVE POLONARVM
PATRONE BENIGNISSIME

Cum extra omne dubium positum sit, maxime illum de patria bene mereri, qui, omnis generis scientias bonasque litteras tueatur, Tu certe, Celsissime Princeps, *secundum incorruptam omnium bonorum, & de excellente Tua in ornandis litteris virtute bene iudicantium vocem, immortalem Tibi iam gloriam comparasti, qui non solum varia doctrina ornatus variis iam scri-*

ptis

ptis rempublicam litterariam donare, sed & erga omnes litteratos gratiosus eorum non paucos in patriæ vtilitatem adiuuare minime dubitasti. Haud parum me felicem puto, qui in eorum sim numero, quos Tu, musarum Polonarum patrone benignissime, *gratia Tua haud indignos censuisti, cumque iterum erga me fuisti munificus & in conscribendis imprimendisque his actis litterariis liberaliter me subleuasti, quid iustius, quam vt Tibi,* Celsissime Princeps, *ea iterum reddam consecremque, quæ a Te ortum habeant. Si continuatio horum actorum litterariorum ad incrementum scientiarum in Polonia quid contribuat, si ea exteris notitiam quandam rerum Polonarum paulo certiorem, quam huc vsque habuerunt, aperiat, si denique ad gloriam Poloni nominis quid faciat, hæc omnia* Tibi, mæcenati Poloniæ Principi, *iustissime debentur. Sic magni Senatores reipublicæ bene consulentes, non semel, sed semper musis patrocinantur, quippe qui bene cognoscunt, ex scientiarum, litterarum, omniumque bonarum artium flore, publicam maxime pendere felicitatem. Hæc veritas, vt popularibus Tuis & familiarior et maiori in vsu sit, diu iam laborasti, & quantum ceteris ad obeundos amicos, quantum ad commessationes celebrandas temporis conceditur, quantum alii tribuunt conuiuiis & omnis generis lusui, tantum Tibi ad varia studia recolenda sumis, atque hoc adeo Tibi concedendum est magis,* Celsissime Princeps, *quod ex studiis, senatoris consilia præsidia atque ornamenta capere, persuasum Tibi habes. Macte igitur hac virtute,* benignisime Mæcenas, *super qua, tanquam perutili & in rempublicam redundante, gloria profecto solida fundatur. Non aetas solum nostra, sed & posteri eo magis, cum iam nullus inuidiæ locus sit, excelsas Tuas virtutes & in patriam studium deprædicabunt, aliisque ad imitationem proponent. Sic celsissima Tua domus, quæ iam et nunc merito litteratorum in Polonia* asylum *audit, vna*

cum

eum illustrissima Zalusciana *gente, præ ceteris scientiarum in Polonia florem de nouo instaurasse dicetur, quod meritum in patriam immortale, nescio an maius sit, posteri nullo vnquam tempore obliuiscentur.*

Quod superest, gratiæ Tuæ, Celsissime Princeps, *me etiam atque etiam commendo, omniaque fausta fortunataque apprecor, in primis sanitatem perennem, omnis felicitatis humanæ fundamentum, qui animi singulari & deditione et submissione sum*

CELSITUDINIS TUAE,

POLONIAE MAECENATIS BENIGNISSIMI,

VARSAVIÆ
IV. calend octobr.
A. MDCCLVII.

Submissus atque obsequentissimus seruus Auctor.

I

DAVIDIS BRAUNII dissertatio de legis famosae, quamuis *&c. ratione poenae homicidii non capitalis, in regno Poloniae, moderata exculpatione.*

Si exterorum non tantæ essent ob hanc legem in gentem Polonam calumniæ, vix ac ne vix quidem in animum induxissem, hanc BRAUNII dissertationem his inserere actis. Sed tum legis grauitas, tum eorum, qui hanc legem haud recte intelligunt, iniquæ interpretationes, deuinciunt me, honorem gentis Polonæ defendere, exterosque melius, quam huc vsque factum, hac de lege docere. Neque BRAVNIUS omnia dixit, quæ dicere debuisset, quam ob causam ea, quæ deficere videntur, in fine adiiciam. BRAUNIUS autem ita disserit:

§. I.

CASIMIRUS M. Rex Poloniæ, in comitiis regni Vislicensibus a. 1347. primus leges certas collectas & scriptas promulgauit. Eatenus enim Duces antiqui & Reges, pro arbitrio suo, ex scrinio pectoris, tamen adhibito consilio officialium, tum etiam episcoporum, secundum consuetudines populorum, causas subditorum, vel ipsi, vel per officiales prouinciales, diiudicarunt. Quæ enim Dlugossus de legibus BOLESLAI CHABRI, & aliquot eiusdem successorum refert, paucissimæ & fere non scriptæ, pleræque magis priuilegiorum priuatorum, quam legum publicarum nomen meruerunt, quod

ex BOLESLAI pudici priuilegiis, circa annum 1264, Iudæis indultis & a Laskio *fol.* 164. recitatis, patet. Cæterum leges illas CASIMIRI M., iussu Regis ALEXANDRI, cancellarius eius, IOANNES LASKIUS ex archiuo regni collectas, simul cum sequentium regum sancitis, sub nomine eiusdem regis, a. 1506. Cracoviæ typis expressas, publici iuris fecit.

§. 2.

Ex hoc fonte authentico, diplomatis regum ALEXANDRI & SIGISMUNDI I. confirmato, sequentes compilatores statutorum & legum regni Poloniæ, omnes, leges illas antiquiores exscripserunt. Proximus a Laskio fuit IACOBUS PRZYLUSKI, qui ob contrarietates multarum legum, in ordinem omnes redigens [quod iam SIGISMUNDUS I. in constit. a 1520. se procuraturum, ordinibus regni promiserat, vid. Herburtus *tit. statuta*] regni statuta & constitutiones, nutu & permissu SIGISMUNDI AUGUSTI regis, Cracoviæ a. 1553. typis edidit. Sed quia PRYLVSIUS reformatæ doctrinæ nimis zelosus, a castigationibus cleri, in hoc opere plane non temperauit, quin imo in notis adiectis libere & subinde acerbe clerum perstrinxit, vsque adeo, vt IANUSZOVIUS in præfatione operis sui statutorum, non inepte eum arguat, *quod Przylusius religionem suam, non iura docere voluisse visus, & propter ea decreto regis cassationem passus sit*, quod tamen neque ipse exhibet, neu vsquam inuenire potui. Certe ordines regni, diplomate regio operi PRYLUSII præfixo, admoniti, vt librum sub censuram suam & discussionem sumerent, ad approbationem eius adduci non potuerunt. Sed cum querelæ prouinciarum ad Regem, de legum ambiguitate, quæ digestione & conciliatione opus haberent, non cessarent, idem Rex SIGISMUNDUS AUGUSTUS, certis ex senatorio & equestri ordine, digestionem legum regni, in comitiis confirmandam commisit.

Enim

§. 3.

Enimuero plerisque delegatorum ab hoc labore deterritis, vnus eorum, IO. HERBURTUS, succamerarius Przemisliensis, postea castellanus Sanocensis, ea occasione, in suum tantum vsum priuatum, leges Polonicas, vsque ad sua tempora, satis compendiose, sub titulis suis digessit, & pro modulo suo conciliauit. Quod quidem opus, licet a rege per constitutiones annorum 1562, 1563, & 1565, *fol.* 91. in linguam Polonicam verti, & publico ordinum consensu reuisum, typis edi iussum esset, nihilominus confirmationis decretum nunquam obtinuit, sed priuatim ab HERBURTO, primo Latine a 1563. mox Polonice quoque a. 1570 typis editum est. Cæterum tacito vsu & acceptione in omnibus iudiciis regni, ab eo tempore adeo inualuit, vt decisionis authenticam vim huc vsque vbiuis obtineat, itaque de publica consuetudinis approbatione statuum regni, dubium nullum superest. Neque enim ad alium fontem iudices & patroni causarum recurrunt, hocce volumen statuti appellatione allegantes.

§. 4.

Hic igitur Herburtus legem CASIMIRI M. de homicidiis puniendis, sub titulo *homicidii* p. 194. hisce verbis recitat. *Quamuis occidens hominem, secundum Dei & legum sanctiones esset capitali poena plectendus, nos tamen rigorem illum temperantes statuimus, quod occidens militem* (i.e. nobilem) *triginta marcas parentibus, pueris, vel amicis defunctis &c. soluere teneatur.* In margine Herburtus citat CASIMIRUM Visliciæ *fol.* 22. nempe *Laski.* PRZYLUSCIUS, primus statutorum & legum collector ante Herburtum, Lib. I. cap. XV. lege VII. p. 282, totidem verbis legem hanc Casimiri M. exhibuit, eamque in margine sinistro, ex *fol.* 22, sub intelligens Laskium, allegauit.

§. 5.

Hunc Przylusium Herburtus, non reuiso originali Laskii, oscitanter sequutus fuit, quem deinde omnes statutorum & constitutionum collectores Latini, vno ore exscripserunt, videlicet post Herburtum, IANUSZOVIUS, Lib. V. p. VII. tit. 17. leg. 4. p. 607. mox & PAULUS SZCZERBIC in promptuario P. IV. cap. v. p. 265. licet hic, pro compendiosa breuitate sua, omissa præfatione legis, de qua nunc sermo est, poenas tantum ex Herburto adcitet.

§. 6.

Et hæc quidem decantata illa lex est, propter quam legislator CASIMIRUS M. & omnes eius successores, atque nobiles Poloniæ incolæ, ab omnibus Europæ nationibus christianis, imo etiam a barbaris culpantur, & impietatis in Deum, iusque naturæ arguuntur, præcipue ea propter, quod expresso verbo, Dei legem sacrosanctam, de effundendo sanguine eius, qui effuderit sanguinem humanum, corrigere ausi sint. Enim uero fuerunt & adhuc sunt morati populi, apud quos in poena capitali, homicidii causa, nobilibus & dignitate conspicuis personis parcere, eosque tantum extraordinarie punire visum est. Quem morem ex iure ciuili Romano hauserunt. Nam lex Cornelia de sicariis, nobilibus personis deportationis h. e. relegationis, plebeiis vero & seruis capitis poenam dictat. L. 3. §. 5. l. 16. ff. *ad legem Corneliam de sicariis & veneficis* item §. 7. institut. *de publicis iudiciis*. Perinde quemadmodum in iure canonico clericis personis fauetur, qui pro homicidio, non vita, sed beneficio tantum, siue officio ecclesiastico depositi, luere iubentur. Cap. *cum non ab homine* X. *de iudiciis*.

§. 7.

Nihilominus nulla vnquam gens, aut legislator adeo aber-

aberrauit, vt disertis verbis legem Dei moralem corrigere aut mitigare ausus sit. Ex Polonis ipsis multi viri docti, pii, legem hancce patriam, ceu summopere impiam, verbis eius præfationis offensi, seuere castigarunt, in quibus ANDREAS FRICIUS MODRZEWSKI, annis 1543. 45 & 46, Cracoviæ, orationes quatuor, ad Regem, ad senatum & ordinem equestrem, ad episcopos, atque ad populum Poloniæ, typis edidit, quibus multa argumenta statibus regni ingessit, tandem obtestationibus acrioribus correctionem nummationis pro sanguine humano suasit, nisi pro contemtu tanto legis diuinæ, iram Dei & excidium suæ gentis mereri malint. Non indignæ, quæ vetustate rare factæ recudantur, vt piis & prudentibus innotescant, & conscientias eorum moueant, si possint.

§. 8.

Quæ enim a defensoribus huius legis hactenus allata sunt, e. g. a LUCA OPALINSKIO, in Polonia defensa contra Barclaium, p. 82. *Quod scilicet poena gladii in homicidas a Deo inter forenses Iudaeorum dictata sit, proinde gentes caeteras non adstringat*: item quæ ANDREAS MAXIMILIANUS FREDRO in fragmentis p. 252. *de moderationis poenarum capitalium suaui effectu, in animis liberorum nobilium, qui virtutis amore, non rigore, a sanguine abstinent, & pro gentis ingenuitate, vbi casus homicidii interuenerit, non coacti, sed sponte in poenam carceris vadunt &c.* dixit, talia studio sua laudandi vel excusandi, quæsito verborum lenocinio, ratiocinati sunt, sed mascule iam a Modrzewskio refutata, fidem vix in Platonica republica, nedum in hac fece mundi, iustis censoribus faciunt.

§. 9.

Lex enim de vindicando sanguine humano sanguine rei, per homines, nempe magistratus, diu ante Iudæorum gentem, Nohæ & filiis eius, orbem terrarum reædificantibus, in iis autem poste-

ritati, h. e. vniuersis nationibus & populis, a Deo promulgata fuit, geneseos c. IX. v. 6. Proinde a SELDENO inter septem principales leges naturales, Noachidis a Deo publicatas, post finitum diluuium, etiam Hæbræorum doctoribus consentientibus, *Lib IV. iuris nat. & gentium*, recitatur, atque sententiis Rabinorum fuse explicatur. Eadem vero lex per Mosem, post decursum octo seculorum, ad populum Iudaicum repetita, non facta est specialis istius tantum populi, quemadmodum etiam timendum Deum, parentes honorandos, proximum diligendum, & cæteræ leges omnes morales, in decalogo comprehensæ, generalem obligationem ad omnes homines retinuerunt. Qua propter ORICHOVIO in libro *de institutione Regis, siue subdito fideli Lib. I. p.* 24. non frustra stomachum mouit, vt impiam legem hanc vocauerit. Et MIECHOVIUS *in Chron. Polon. Lib. IV. c. 19.* ad hanc præsertim legem respiciens, rectores Poloniæ acclamauit: *vt ratione & intellectu vigentes, videant, iudicent & corrigant iura illa, quantum legi diuinae & humanae contra veniant.*

§ 10.

Non est iam instituti mei, argumenta, a defensoribus legis huius passim allegata, colligere, cum omnium moratiorum gentium scholæ, impia præfatione legis huius famosæ irritatæ, iam dudum causam hanc studiosæ iuuentuti problematice tractandam, & tanquam Carneadis facundam impietatem, qua ius naturale nullum esse impie asseruit, declamationibus mordendam proposuerint. Hoc tamen, ex inspectione diligentiori textus originalis legum apud Laskium, pro defensione legis homicidii Polonorum, vsque adeo apud exteros proscissæ & male hactenus defensæ, notare volui: quod præfatio istius legis a CASIMIRO M. tam impia libertate, legem Dei mutandi vel temperandi, non fuerit pronunciata,

quem

quemadmodum ipsi quidem Poloni, Herburto nimis fidentes, credunt, & male tuentur, aut exteri stomachantur.

§. 11.

De authentico autem textu Laskii, qui tanquam regni cancellarius, iussu & approbatione Regis ex authographo, quod in gazophylacio regni, aut, verbis Laskii in præfatione, in ærariis publicis, & in diplomate Regis ALEXANDRI, in publico regni thesauro Cracoviæ in castro asseruatur, opus illud diligenter exscripsit & typis edidit, nulla sane ratio dubitare sinit. Iam vero lex de poena homicidii his verbis in Laskio fol. 22, recitatur: *Quamuis occidens hominem, secundum legum sanctiones foret capitali poena plectendus, nos tamen rigorem illum temperantes statuimus &c.* ex quibus verbis luculenter patet, non adeo omnem reuerentiam Dei exuisse legislatorem CASIMIRUM M. & consultores eius, vt contra expressam Dei sanctionem, suam potiorem habuerint mitigationem; sed quod ipsis, perinde vt aliis multis, vsque ad hanc diem persuasum fuerit: legibus tantum humanis poenam capitis homicidiis, in vicino Imperio Germanorum aliisque regnis, diuinam vero tantum forensem fuisse Iudæis propriam. Idcirco eam sibi licentiam sumserunt, quam olim Cæsares in iure Romano, & Pontifices in canonico, vt in gratiam nobilium, qui vt plurimum in aulis omnia possunt, atque cleri, a rigore capitalis poenæ remitterent, eamque in pecuniariam mutarent.

§ 12.

Equidem non assero, ita legem hanc, vtut postea a Regibus Poloniæ maiori summa nummationis & poena adhuc carceris asperatam, plane iustam pronuntiari, vel defendi posse, quia cum honestis Christianis piisque omnibus credere fas est, naturæ & morali positiua lege Dei, homicidium esse capitale. Ac propter ea sententiam illam improbandam,

quæ

quæ homicidia, in naturæ humanæ destructionem non vergere, ideo neque morale naturæ præceptum eo crimine violari, impudenter asserit: cum ex illo ipso, contrario iuxta se posito, vitæ & mortis, euidens destructio naturæ humanæ, quæ non solum interfectis aliquot multis millibus, sed etiam vno singulo homine patitur, sequatur. Hoc tamen dico, quod, cum in originali textu legis Polonorum, vocabulum Dei, cuius reuerentia acerbissimos castigatores legis eius excitauit, non sit expressum, consequenter non meruerunt, vt apud moratos & iustitiæ cultores a tot seculis vapulauerint.

§. 13.

Nec satis mirari possum, ex Polonis, legum peritis, plane aut inspexisse hanc antinomiam, aut animaduertisse errorem in textu, a multis adeo vexato, neminem. Certe textus Polonicus legis huius de homicidio, Ictos Polonos manu eo ducit, vt grandem errorem hunc in editionibus statutorum Latinis Herburti, & ante eum Przylusii, quibus omnia iudicia vtuntur pro authentico, animaduertere potuerint. Nam omnes Polonici textus huius legis exacte cum originali Laskii congruunt. Sic ipse ille Herburtus, primus Latinarum legum patriarum interpres Polonicus, in statuto suo Cracoviæ anno 1594. impresso, Lib. X. cap. II. p. 604. item IANUSZOVIUS p. 607. hisce verbis Polonicis famosam hanc legem de homicidiis recitat: *aczby ten, ktory zabiie człowieka, wedle prawnych ustaw, miał bydz na gardle karan, wszakze my srogosc one uskramiaiąc, ustawiamy isz kto zabiie szlachcica* &c. hoc est *quamuis ille, qui occidit hominem, secundum antiquas leges debeat capite plecti, tamen, nos seueritatem illam mitigantes, statuimus, vt ille, qui occidit nobilem* &c. Quicunque linguam hanc callent, verbi Dei nullam in ea versione mentionem fieri, fateri coguntur.

§. 14.

§. 14.

Tanto magis igitur arguendus Przyluſki, aut quis quis tandem ille primus poſt Laſkium legum Polonicarum compilator fuit. Quia enim ex Laſkio, tanquam originali textu, legem hanc recitauit, ſumma negligentia, aut malitia, vocem Dei intruſit, textum deprauauit, & tantum infamiæ vulnus eidem inflixit. HERBURTUS domituriens PRZYLUSKIUM, Herburtum SARNICIUS & IANUSZOVIUS, vtut Laſkium in margine adcitantes, tamen non inſpecto originali, omnes ducem errantem ſupina negligentia ſequuti: vsque adeo, vt ne MODRZEWSKIUS quidem, tantus legis huius maſtix & zeloſæ pietatis oſor, in orationibus ſuis Laſkium inſpexiſſe, ſatis aperte videatur, ſed ex recentiori aliquo interprete legem *quamuis* hauſiſſe. Nam Przyluſki & Herburtus a. 1543, quo ille orationes ſuas typis edere coepit, ſtatuta ſua nondum congeſſerant. Tamen MODRZEWSKI, hic in oratione ſecunda ad ſenatum, fide alterius cuiuspiam ita legem allegat: *Quid*, inquit, *facitis aliud, quam pares vos aut ſuperiores Deo, cum ita dicitis: Quamuis Deus conſtituit poenam capitalem, tamen nos iure noſtro conſtituimus pecuniariam poenam.* Notabili omnibus ſcriptoribus documento, ac litteratis cautione, vt abſque inſpectione originalis textus, verba ante ſe ſcribentium non habeant pro authenticis.

§. 15.

Denique ex allegato MODRZEWSKI animaduerto, temporibus SIGISMUDI I. & filii AUGUSTI, Regum, maximas querelas doctorum bonorumque in Polonia virorum, aduerſus hanc nummationem pro ſanguine humano, inualuiſſe, ipſos Reges hos, ſummopere legem eam odiſſe. Multos ex ſenatoribus ſæcularibus, epiſcopos plurimos, ex equeſtri ordine quoque non paucos, pios & iuſtitiæ amantes, vniuerſum denique populum oppidanorum ac agreſtium, votis & ſupplicationi-

B bus

bus correctionem legis, tanquam impiae, petiisse, nec tamen per malitiam obnitentium, impetrasse. Vsque adeo, vt Rex SIGISMVNDVS I. statuto suo Petricouiensi a. 1523. rigorem aliquem circumstantiis saltem atrocioribus homicidarum, a tempore coronationis suae, consensu ordinum superadditum, adhuc ad quadriennium prorogans, tali querela praefari necessum habuerit: *Quia post intermissum statutum nostrum de homicidiis, in magnam audaciam & insolentiam subditi nostri acti, passim homicidia absque vlla Dei & humanitatis ratione committunt, nec iam quisquam in templis, nedum in domibus, tutus esse potest &c.* Ille tamen bonus & iustus Rex tandem in sequenti statuto suo Cracouiensi a. 1539. fateri coactus fuit: *Petierunt a Nobis nuntii terrarum, vt occidendorum hominum poena, non sit eius asperitatis &c. Nos eorum precibus victi, quando hoc illis aequum visum est &c.* Vsque adeo iam tunc licentiae priuatorum, Rex contra propriae conscientiae & rationis sanae iustaeue stimulum, conniuere & seruire impulsus fuit. Ideo CROMERUS Lib. II. *descript. Poloniae*, exclamauit: *Fit autem contemptu harum poenarum, & capienda ex mulcta pecunia, vt crebrescant magis in dies iurgia caedesque.* Sapiens & falsa fuit SIGISMUNDI AUGUSTI Regis, adhuc pueri, in comitiis Petricouiensibus a. 1538, simul cum patre in senatu, super propositione de abroganda lege pecuniaria, & alia capitali contra homicidas perferenda, consultantum sermones audientis sententia: *ego quidem*, inquit, *censeo legem vtrique parti congruam perferendam esse, illorum, qui volunt, vt sit nummaria, si occidantur, aestimatio fiat; illorum vero, qui poenam capitalem rogant, occisoribus sit poena capitalis*, quod refert MODRZEWSKI orat. I. ad regem, *titulo Laskii*. Nihilominus magno equestris ordinis feruore, pia & iusta Regum illorum animaduersio impedita euanuit.

§. 16.

§. 16.

Sed ORICHOVIUS, Demosthenes ille Poloniæ, quo ipsum mactat elogio STAROWOLSKI, in libro, *de centum Poloniae scriptoribus*, orationem suam funebrem SIGISMUNDI I Regis, quæ in corpore historicorum Poloniæ, Tom. III. exhibetur, increpationibus feruidis contra legem hanc pecuniariam exacuit, & infamem impiamque æstimationem corporis humani appellauit. *Si quis fur*, differens, *pecuniam furto abstulerit, capite plectitur & suspendio: Si quis vero eum, cuius haec pecunia fuerit, occiderit, pecunia occisi, caput soluit. O commemorandas leges & dignas, quae in hac republica versentur! quibus nos tanquam pecudes pretio ac mercede sicariis & interfectoribus addicti sumus.* Tandem tali parænesi finit: *Quam vos non legem, sed perniciem atque pestem vestram, primo quoque tempore de medio tollite, equites, si salui esse & boni viri haberi vultis* Hactenus Braunius.

Satis mirari non possum, huc vsque, neque Polonum, neque extraneum scriptorem, exactam legis famosæ *quamuis* suppeditasse illustrationem. Ea enim, quæ BRAUNIUS dixit, nondum sufficiunt, ne dicam, eum obtentu *moderatae exculpationis*, quædam scripsisse, quæ Polonos magis incusant, quam excusant. Debuisset legum verbis maxime enodare hunc nodum Gordium, & atrocem exterorum calumniam, *quasi nobili Polono liberum esset, sine periculo capitis, non rusticum solum, sed & oppidanum, imo extraneum, occidere.* Infamis hæc est in inclytam gentem Polonam calumnia, quam mox legum verbis refutabo. Quomodo securitas publica, ius diuinum & naturale, societas hominum & commercium subsistere posset, si res ita se haberet.

Primum demonstrandum est, secundum clara legum verba, omnes homicidas, qui ex malitia & vim adhibentes occidunt, capite plecti, de quibus lex ita constituit: *Męzoboyca, gwał-*

gwałtownik dom czyi naszedszy, ieżli zabiie, albo rani kogo, szesciu swiatkow z osmnacia wybranych przekonany, na gardle karany byc ma: hoc est: homicida, violator, domum alienam aggrediens, si occidat vel vulneret, sex testibus ex octodecim electis conuictus, capite plecti debet. vid. inuentar. nouum constit. p. 316.

Hoc vnicum iam euidenter probat, neminem, malitiose & violenter, quenquam sine periculo capitis, occidere posse. Solutio vero capitis & sessio in profundo, vel, vt in Polonia dicitur, *nummatio & sessio in fundo*, locum tantum habet in homicidiis in sui & bonorum defensione commissis, id quod clare dicit constit. a. 1588. Vol. 2. f. 1216. his verbis: *Statut o mężoboystwach w obronie zdrowia uczynionych, gdy by się to iawnie* ex scrutinio *pokazało w mocy zostawiono. Homicidia zas* casualia *tak deklarowano: ze tylko rozumiec się ma w tym* casus, *gdy by kto nie maiąc z kim przedtym* contentiones, rixas, & odia, *z przygody zabił człowieka, ale w miescie, we wsi, przy domu, w polu przeyrzystym, gdzie ludzie chodzą, gdy kto z rusznice zabiie, allegatio casus isc nie ma:* hoc est: *statutum de homicidiis, in defensione sui factis, si hoc clare ex inquisitione appareat, ratum habetur. Homicidia vero casu facta, ita declarantur: vt casus tantum ex hoc intelligatur, si quis, non habens cum quodam contentiones, rixas & odia, casu hominem occiderit. Sed in vrbe, in pago, domi, in campo aperto, vbi homines ambulant, si quis sclopeto occidat, allegatio casus locum non habet.*

Quid clarius hac legali statuti de homicidiis explicatione? sic etiam praxis in iudiciis regni Poloniae deprehenditur, vt violenti & malitiosi occisores capite plectantur, & ego non vnum nobilem capite plecti vidi, qui iudaeos malitiose & violenter occiderunt, vel in via, tantum vim adhibentes merces eorum, vel pecunias, abstulerunt. Quem in finem ergo Braunius ORICHOVII verba mendacia citauit: *Vt quis*

pecunia occisi, caput soluere possit, & Poloni tanquam pecudes pretio ac mercede sicariis & interfectoribus addicti sint. Quæ exaggeratio! quæ calumnia! Ex eadem causa nemo cordatorum Polonorum FREDRO verba approbabit, qui non adeo malam causam pessime defendens dixit: *liberos Polonos nobiles, virtutis amore, non rigore, a sanguine abstinere, & si casus homicidii interuenerit, non coactos, sed sponte in poenam carceris vadere &c.* id quod itidem falsissimum. Poloni enim nobiles, non virtutis solum amore, sed Dei maxime timore, tanquam Christiani catholici, & sanctione legum, abstinent a sanguine, neque sponte, sed vi legum coacti carceris poenam subeunt, quæ certe rigorosa. Multi enim ex illis, qui per annum & sex hebdomadas in profundo carcere sedent, vel moriuntur, vel cæci fiunt, hydropem contrahunt, ad minimum sanitate spoliantur. Tanta enim est in profundis carceribus in Polonia humiditas, vt non nisi in robustissimis corporibus sanitas integra maneat, & apud plures forte maior poena est in profundo, redimendo caput, per annum sedere, quam si capite plecterentur. Nondum omnes exterorum in gentem Polonam ob statutum de homicidiis calumnias dilui. Dicunt enim: *Si plebeius plebeium occidat, lex est, capitis poena puniatur,* sed nulla lex est, aiunt, si nobilis plebeium occidat, vt capite plectatur. Et hoc falsum. Audiatur lex: *takze prostego stanu człowiek gdy przed laty zabił szlachcica, nie maiąc przyczyny od niego, na gardle karany bydz miał, a ieżeli za przyczyną zabił, tedy wedle statutu karany bydz miał.* hoc est: *quando vilioris conditionis homo, olim nobilem occidit, nulla habita causa, capite plecti debuit, si vero data a nobili occasione occiderit, tunc secundum statutum puniri debuit.* Constit. a. 1532. Vol. I. f. 502. §. *plebeius.* Qui ergo in defensione sui occidunt, idem ius habent, sint nobiles, vel plebeii. Qui vero ma-

litiose & violenter occidunt, sint nobiles, vel plebeii, capite plectuntur.

Tandem bene notanda sunt verba constitut. a. 1611. *tit. deklaracya bespieczenstwa* vbi dicitur: *aby onemu, cuiuscunque status, conditionis & praeeminentiae ludzie podlegali postanowiono.* hoc est: *vt ei* [iuri ratione homicidiorum] *cuiuscunque status, conditionis & praeeminentiae homines subiecti sint, statutum.* Iniusta igitur est exterorum querela, qui putant nobiles Polonos, ratione homicidii, singulari gaudere priuilegio, quemadmodum & illa accusatio falsa, quasi iudicia occisores non ex officio caperent. Constitutio enim a. 1726. claris verbis id iubet: *Urzędy y sądy wszelkie, bądz przy delatorze, bądz bez Delatora, ante & post condemnationem łapac y sądzic kriminalistow mogą & tenentur,* hoc est: *officia & iudicia omnia, sit delator, vel non sit delator, ante & post condemnationem capere et iudicare capitalia crimina committentes, possunt et tenentur.*

Satis mihi videor legum verbis probasse, exterorum illam de lege *quamuis* indignationem, esse iniustam. Hoc vnicum diffiteri non possum, facilius in Polonia legum fieri, vel ex potentia, vel ex fauore, abusum, quam alibi. Sed quae res est tam bona, qua non aliquoties abutamur.

II

De primatu Senatorio regni Poloniae illustrissimi ac Reuerendiss. in Christo patris et domini, D. STANISLAI KARNKOWSKI, archiepiscopi Gnesnensis, Legati nati, eiusdemque regni primatis primique principis, tractatio, cui adiuncta est, eiusdem auctoris de ratione eligendorum regum Poloniae *epistola. Item eiusdem* panegyricus, *non dissimulis argumenti ad HENRICUM VALESIUM, Poloniae regem designatum. Posnaniae Anno Domini M.D.XCIII. in 4. plag. 8.*

Inter rarissima merito Poloniae scripta censetur haec dissertatio

tatio archiepiscopi Gnesnensis KARNKOVII, auctoris, longo vsu subacti, de primatu senatorio, optimi. Hanc ob causam grauissimi huius scriptoris commentationem vtilissimam, non tam recensebimus, quam potius maxima ex parte inseremus. Audiamus Karnkouium, lectorem alloquentem:

Stanislaus Karnkowski, Dei gratia, archiepiscopus Gnesnensis, &c benigno lectori.

Cum in omnibus iis rebus, quae vsquam de republica nostra tractantur, nequaquam satis de recta regum electione, interregnique modo, ratio sit explicata, visum est mihi experientia edocto, et tribus interregnis exercito, ea in re patriae consulere. Et quamuis non pauca in eo genere alicubi reperiantur, tamen de eo, quod caput est, et in quo tanquam in cardine negotium vertitur, nempe de praeside et moderatore publici consilii, nullus, quod ego sciam, scripsit. Quam ob rem, cui hoc ex ipsa origine reipubl. nostrae competat, hic docemus. Quoniam vero in epistola ad CROMERUM, et in panegyrico HENRICI, sententiam nostram aperuimus, de ratione eligendi regis, iussimus ea hic attexere, vt cognoscere possis, quid te ea in re sequi oporteat. Vale.

Disceptatio de primatu regni, eo consilio, vt ego arbitror, suscipitur, vt sciatur, vtrum vnus sit e numero senatorum aliquis, legum præscriptis & auctoritate publica, ad hoc constitutus, vt post mortem regis, in ordine publici consilii & progressu electionis, non modo equestri ordini, verum etiam cæteris senatoribus præeat. Deinde, si eam auctoritatem non pluribus, sed vni, eique ordinis senatorii, attributam esse constet, quisnam is e corona senatorum habendus sit, cui potestas illa iure conueniat. Res est, vt grauissima, ita cognitu maxime necessaria: quod hac eminentia sublata, aut conuulsa, regnum turbari, aut euerti necesse esse videatur. Ea tamen dubitatio, facile fortassis ex animis hominum eximi

poterit,

poterit, si rem ipsam recta via & ratione cosideravimus. Ita sane iam inde ab initio constituta est respublica nostra, vt vnius principatu contineatur. Neque vero is hæreditarius est, sed is demum rerum potitur & regnat, quem ipsa sibi respublica liberrimis ordinum suffragiis creauerit, siue elegerit, eique adiunxit ea consiliarios, quasi socios, quorum is consiliis in administrando regno & grauioribus quibusque actionibus nitatur. Penes hos etiam, defuncto rege, & in interregno, manet summa rerum, curaque & prouidentia de subrogando alio. Hi conuentui ad eligendum nouum regem locum diemque præstituunt, quod lex diserte præscribit.

Verba legis.

Decedentibus regibus & regno vacante, domini consiliarii status vtriusque, capto inuicem mutuo consilio, secundum veterem & antiquum morem consuetudinemque et statuta regni, conuentum ad eligendum nouum regem indicant, illumque omnibus membris et ordinibus regni tempore denuncient.

Quamuis autem sint magistratus in republica cum potestate, sit equester ordo firmamentum eius, tamen lex, veteri & antiquo mori & consuetudini statutisque innitens, solis consiliariis eam potestatem constituendi de eo conuentu, cumque omnibus aliis membris & ordinibus denunciandi, quo conuenire ii debeant, attribuit. Nihil in eo equestrem ordinem, nihil magistratus, nihil quenquam alium commune habere voluit cum senatu. Consiliariis, siue senatoribus hic honos datus est, siue quod sint seniores dignitate & eminentia, & iurati, siue quia facilior est, congressus pauciorum senatorum, quam omnium ordinum. Ab iis vero, nempe consiliariis, illum conuentum reliquis omnibus membris & ordinibus vult indici. Poterat lege certus locus & tempus præfigi eligendo regi, sed hoc non est visum expedire reipublicæ propter incertos

& dubios

dubios euentus, ne forte id contingeret, quod scriptura sacra dicit: *Vbi sit cadauer, ibi congregari solere aquilas.* Premenda igitur hæc potius silentio, & arbitrio senatus comittenda, quam in tabulas referenda, & omnibus euulganda, maiores prudentissime iudicarunt. Quibus autem senatoribus eam lex potestatem facit, siue onus id imponit? Num solis palatinis, aut castellanis, aut vt vocant, officialibus? Non. Sed aperte *vtriusque status*, nempe ecclesiastici & secularis, *consiliariis*. Simul autem ostendit, qua ratione & ad quem modum hoc fieri debeat: *capto*, inquit, *inuicem mutuo consilio*. Itaque lex congressum consiliariorum requirit. Quomodo enim aliter inter eos, per maxima locorum interualla disiunctos conueniret? num terni, vel quaterni, vel etiam deni, aut viceni, suo quique arbitratu eum conuentum indicent? Nihil perturbatius, & non modo ad seditionem, verum etiam ad bellum ciuile accomodatius. Igitur conuenire oportet consiliarios. Vbi autem & quomodo ii conuenient, nisi ab aliquo ad certum aliquem locum diemque conuocati, aut vltro accurrentes? Aut quomodo expedient rem concorditer, nisi ab vno aliquo in consilium mittantur, & nisi aliquis eis præsideat, consiliis moderetur, & cetera ad rem pertinentia dirigat? Quid vero? in ipsa electione qui esset ordo? quæ consensio consiliariorum? quid non plenum contentionum, iurgiorum, tumultuum, nisi vnus non modo senatui, sed cum eo pariter ceteris ordinibus & orbæ reipublicæ placide & clementer moderetur? *mala est*, ait sapiens philosophus, & ante eum præstantissimus poeta, *pluralitas principum.* Quin natura clamat, ordo exposcit, dictat ratio, vsus & experientia rerum probat, ad hoc: vt sit ordinata multitudo & tollantur schismata, seu factiones in consilio, necesse esse, vt vnus sit, qui omnibus præsit. Qualis enim ea esset respubli-

ca, in qua non sit vnus, qui ceteris antecellat? Culicum certe vel pulicum, vel graculorum duntaxat. Tolle ex auibus, ex armentis, ex omni genere animalium ducem, grex statim turbatur, & capite præciso, reliqua membra concidunt. Sit ergo vnus, vt in regno princeps, ita in interregno primas & moderator consilii & reipublicæ. Verum hoc facile quisque, cordatus præsertim, vt existimo, concesserit. Illud magis controuersum est, quis e numero senatorum primus huiusmodi sit agnoscendus. Has enim partes alii tribuunt, *supremo Mareschalco regni*, alii *cancellario maiori*, alii *castellano Cracouiensi*, alii totam eam rationem permittunt arbitrio vniuersorum, vt post obitum regis, vnum aut alterum eligant, qui sint directores consilii publici. Quarum opinionum hæc postrema, cum plane absurda sit, ne refutanda quidem in præsenti esse nobis videtur. Serum sane & præposterum esset hoc præsidium. Trium autem priorum error, vt euidentius agnoscatur, leges ipsas quibus illorum senatorum officia definita sunt, expendamus.

Verba legis de officio Mareschalcorum.

Officium Mareschalci regni & Mareschalci curiae, siue vterque, siue alter eorum esset in curia, debet esse omnium caerimoniarum & aulae regiae magister. Aulicos conscribant, stipendia soluant, regrestra teneant, diligentes & negligentes sciant, inobedientes a curia arceant.

Hospites & consiliarios regni excipiant. Attendant, vt debitus cuique honor, ex parte maiestatis regiae, iuxta meritum, personae impendatur.

Scandala & excessus aut eliminent, aut emendent, animaduersione iuxta meritum aut demeritum adhibita.

Ea vero omnia, qua meliore conditone possunt, faciant, idque cum consensu & auctoritate maiestatis regiae.

Quo-

Quoniam vero ea officia sunt indifferentia, Mareschalcus regni, praesens in curia, sciente Mareschalco curiae, omnia officio suo incumbentia exequatur.

Recedens a curia Marschalcus maior, minori regestra & administrationem officii tradet, in quo maior, dum fuerit praesens, summam auctoritatem, ad omnia iam dicta, habebit: eo vero absente, penes minorem, eadem sit auctoritas.

Ratione administrationis officii, Mareschalco praesenti, adscribitur perceptio foralium, & auctoritas imponendi praetii rerum venalium. De foro tamen campestri foralia campiductori generali reseruata. Quae tamen foralia moderate & iuxta locorum consuetudinem, percipiet.

Quod si Mareschalcus in pretio rerum & foralium modum excedat, habebunt facultatem consiliarii, in curia praesentes, illud moderandi, sibi quoque praecipiendi. Quibus si Mareschalcus parere noluerit, ex tunc tanquam inobediens, ad communem auctoritatem consilii generalis, proxime futuram, deferatur.

De Cancellariorum officiis.

Cancellarii & Vicecancellarii officia, auctoritate executione, expeditione, & consuetudine censentur esse copulata & paria.
Episcopatum vel dignitatem nacti, officio cedant.
Litteras sibi & iuri contrarias non extradant.
A donationibus & inscriptionibus bonorum cuiquam contra constitutiones regni dandis abstineant.

Litterae iuri contrariae intelliguntur, inhibitiones ad iudicia, absque necessitate reipublicae. Item, commissiones inter personas, nisi granicierum diuisionis, vel de consensu partium essent. Item, liberationes ab expeditione bellica.

Ex his legum verbis planum est, quam circumscripta & certis cancellis coarctata sit Mareschalcorum & Cancellariorum potestas, ad quos vsus & actus haec officia sint desti-

 nata,

nata, & quatenus se extendant, &c. Quod attinet regimen aulæ, Mareſchalci, eodemque modo Cancellarii, abſque voluntate regis nihil faciunt. Ecce eorum poteſtatem colligatam vides. Cæterum ſi in æſtimando rerum precio Mareſchalci modum excedant, habent poteſtatem conſiliarii præſentes illud moderandi & ipſis præcipiendi, &c. *Diem ei dicunt ſenatores ad commune iudicium ſenatus.* Verba hæc notant, eum eſſe in auctoritate ſenatus, quia lex ſubiicit eum auctoritati conſilii generalis, viuente rege. Poſt mortem vero regis dubitamus de eo, an ſit in poteſtate ſenatus. Is igitur, qui viuente rege ſenatoribus miniſtrat, continuo vniuerſo ſenatu factus ſuperior, eum ad ſe vocandi poteſtatem habebit? Verba legis & recta ratio reſiſtit ac repugnat. Ad hæc Mareſchalcus regni, communicatum habet officium cum Mareſchalco M. D. Lithuaniæ & cum Mareſchalcis curiæ. Itaque quod vni conceditur, aliis quoque concedi neceſſe erit. Habebimus igitur tot publici conſilii duces, quot Mareſchalcos. Mareſchalci & Cancellarii adepti maiorem dignitatem, cedere officio coguntur, quæ lex eo conſilio facta eſſe videtur, quod eorum potentia, cum alias ſemper, tum maxime interregni tempore, reipublicæ ſuſpecta eſt.

Itaque omnes hi Mareſchalci, Cancellarii, theſaurarius regni, imperator, ſeu dux exercitus, morte regis, auctoritati ſenatus parent. Nihil agunt, nec agere debent, niſi mandato ſenatus. Cancellarii certe ſtatim morte regis ſigilla obſignant, & ab officio exercendo abſtinent, maiorque ſecretarius in eorum locum ſuccedit.

Quod de Mareſchalcis & Cancellariis regni & M. D. Lithuaniæ a nobis dictum eſt, non eo animo dictum eſſe quiſquam arbitretur, vt de dignitate & auctoritate eorum quidquam derogatum eſſe velimus, quorum officium reipublicæ eſt valde

valde necessarium, addo etiam dignitatis plenum. In cura enim & administratione Mareschalcorum omnis vitae principis securitas, omnis ordo, pax, tranquillitas, tam in aula tempore comitiorum, quam extra, omnis denique splendor & maiestas regis, regni & senatus, posita esse videtur. Cancellariis item & Vicecancellariis respublica credidit sigilla regni, quibus publicae actiones & libertas firmatur, eisque credita est dispensatio iuris & aequi. Et iudices ii sunt ciuilium causarum, & praesentes esse debent solentque in aula regia. Sed licet officia eorum in republica sint talia & tanta, non habent tamen potestatem conuocandi senatum. Certe tempore interregni, Mareschalci, mandante senatu, officium suum exercent, in constituenda pace & tranquillitate, tam in loco comitiorum, quam extra, in aestimando rerum pretio, distribuendisque hospitiis. Eorum quoque est, edicta, mandante senatu, promulgare. Extat ea de re exemplum apud historicos, cum *Rituianius* & *Melstinius* impuberi VLADISLAO, qui Turcico praelio ad Varnam occubuit, diadema imponi nollent. IOAN. OLESNICIUS Mareschalcus regni mandato senatus edixit: vt qui Vladislao fauerent, in dextram, qui negarent coronandum, in leuam discederent. Qua promulgatione edicti, sopita est tota illa controuersia. Itaque tempore interregni eorum officium est, post renuntiationem electi regis, in senatu ab archiepiscopo Gnesnensi, vt mox ostendetur, factam, regem nominatum & renunciatum per edicta promulgare, & ad vniuersorum notitiam deducere & declarare.

Castellanus Cracouiensis quid iuris & potestatis prae aliis senatoribus in regno & interregni tempore habeat, nihil habeo cognitum. Etenim nihil iura & leges ea de re sanxerunt, sine lege autem loqui erubescimus. Ad haec, non suum is locum obtinet, sed palatino Cracouiensi olim ademtum,

ob scelus commissum. Plane palatinus Cracouiensis cum palatino Posnaniensi alternis vicibus dicunt sententias. Quod si in minori Polonia, primus inter senatores castellanus Cracouiensis, Primas censebitur, eodem iure sibi palatinus Posnaniensis eam ipsam dignitatem in maiori Polonia vindicabit, qui inter seculares maiores Polonos, primum tenet locum. At neuter istorum dici potest primus, cum vterque illorum habeat priores se omnes episcopos in vno eodemque senatu.

Cum igitur Primatis honor, neque Mareschalco, neque Cancellario, neque Castellano Cracouiensi conuenire possit, quin etiam opiniones illæ contra legem inuectæ, sine exemplo, contra morem, contra ius & æquum, reipublicæ vero inutiles ac periculosæ sint, reliquum est, vt illorum sententiam probemus, qui eam dignitatem & excellentiam archiepiscopo Gnesnensi, iure ac legitime deberi asserunt. Cuinam enim talis ac tanta dignitas & auctoritas potius conuenit, quam ei, qui in amplissimo senatu, loco & ordine eminet? Atque is est archiepiscopus Gnesnensis, qui princeps senatus habetur, neque principibus ac ducibus feudatariis, vt vocant, regni, ac ne fratribus quidem & filiis regis, honore & prærogatiua loci cedit. Tanta autem dignitate est antiquitus, vt ei soli omnium, dum incedit aut vehitur in publico, etiam rege præsente, sceptrum seu virga præferatur; * aduenienti vero rex assurgat. Porro absente rege, eius auctoritate cogitur senatus, et ab eo senatus consulta promulgantur. Hic ipse regem ritu solenni inaugurat, siue inungit & coronat. Et si quid publice senatus & aliorum ordinum nomine, de rebus maioris momenti cum rege

ge

* Hæc cærimonia ita nostris temporibus obseruatur, vt virga, quæ regni primati præfertur, Rege præsente statim ad terram demittatur, de quo regni mareschalci, regem præcedentes, primatis mareschalcum, qui semper vnus ex castellanis minoribus, confestim admonent, si forte virgam ad terram demittere tardet.

ge agendum est, per eum agitur. Penes eum est praesidium aduersus regum impotentem dominatum, si quid in praeiudicium iuris & libertatis publicae attentent. De IACOBO quidem archiepiscopo, Znenae orto, memoratur, quod, cum VLADISLAUS princeps, Boleslai Crispi filius, ante annos 440 iniurius esset fratribus suis, bellumque ciuile aduersus eos moueret, in castra eius curru vectus venerit, eumque (quamvis plebeius homo) liberrime de tyrannico & impio coepto monuerit, contemnentemque vna cum exercitu diris deuouerit. Nec mora sententiam eius vltio diuinitus secuta est. Profligatus est enim Vladislaus cum exercitu suo a paucis obsessis. Recens est memoria, cum rex nuper defunctus SIGISMUNDUS AUGUSTUS, certum contractum de sale vendendo in detrimentum nobilitatis fecisset, maiores Poloni eam rem ad archiepiscopum detulerunt, vtque conuentum indiceret, postularunt. Rex ab archiepiscopo monitus, destitit ab incepto. Ita in archiepiscopo Gnesnensi validum & certum est genti nostrae contra regum impotentiam & iniurias praesidium. Et vero habet is amplissimas possessiones in medio regni sitas, quo expeditius & maiore cum dignitate fungi muneribus suis queat. Rectissime igitur penes eum, ea, de qua nunc agimus, praerogatiua, primatus est & esse debet, vt interregni tempore ad eum ceteri consiliarii, confluant, communicatoque consilio de eorum sententia, locus tempusque eligendi regis, ceteris membris & ordinibus regni, denuncietur. Nec id modo: sed subitariis etiam reipublicae periculis obuiam eatur, securitati & necessitatibus, morem non ferentibus, prospiciatur, legationes etiam externorum principum ad eum adeant. Denique electum communibus suffragiis regem is renunciat, & exacto ab eo iuramento legitimo, ritu solenni, vt dudum memoraui, coronat. Tanta quidem dignatione praedito inferiores omnes non inuiti honorem habent & obsecundant. Non verentes, ne is, vtpote sacris initiatus

atus, ad ſummum apicem aſpiret. At enim ſpiritualis eſt, vt vocant, primatus dignitas, neque ad regnum & rempublicam noſtram pertinet. Fertur enim, archiepiſcopus Nicolaus cognomento *Trąba* cum eſſet publice allegatus ad Conſtantienſe concilium, eam primatus prærogatiuam ſibi & ſuis ſucceſſoribus, Gneſnenſibus archiepiſcopis, in ipſo concilio impetraſſe. Eſt quidem ita, quod is primatum ex eo concilio reportauit. Verum ſcire operæ precium eſt, eſſe etiam inde ferme ab initio Chriſtianæ religionis dignitatem eccleſiaſticam ſuperiorem archiepiſcopali & metropolitana, inferiorem patriarchali. Qua qui præditi ſunt, primates a Latinis vocantur. Eam igitur nunc a Trąba impetratam eſſe credibile eſt, quo eximiam haberet in Polonia & Lituania dignitatem, & in ipſum etiam Leopolienſem archiepiſcopum & ſuffrageneos eius epiſcopos poteſtatem & iurisdictionem. Quod ſi forte ad eum quoque primatum, de quo nunc agimus, diploma illud pertinet, non tam dat id nouam prærogatiuam archiepiſcopo Gneſnenſi, quam antiquam & inueteratam relinquit & ſtabilit, quam Rex VLADISLAUS IAGIELLO dudum per Leopolienſem archiepiſcopum labefactare adortus erat, cum ab eo reginam Eliſabetham, tertiam vxorem ſuam, præter morem & aſſenſum ſenatus amplisſimi, coronari curaſſet. Summa enim tunc erat, eſtque adeo etiamnum, apud recte ſentientes de religione, pontificis max. & generalis concilii auctoritas. Quæ nec apud diuerſum ſentientes & contumaces filios obſtare debet Gneſnenſi archiepiſcopo, quo minus antiquiori iure ſuo vtatur.

At nihil de eo legibus noſtris cauetur. Demus hæc. Num autem omnibus de rebus ad rempublicam pertinentibus cautum eſt? Nullane inſtituta a maioribus noſtris, quaſi per manus nobis tradita, ſcriptarum legum vim habent? Sero maiores noſtri, nempe ante ſex centos demum annos litteras

cum.

cum religione Christiana acceperunt. Leges autem scriptæ ante CASIMIRUM magnum regem, hoc est, ante 250 annos, nullæ apud nos extant. Inde perpaucæ extant, & simplicissimæ, iudiciales fere, aut siquid vnquam præterea in controuersiam venit rempublicam administrantibus, quales sunt superius memoratæ de officiis Mareschalcorum & Cancellariorum & aliæ eiusmodi, tum demum conditæ, cum magistratus plus sibi sumere incipiebant, quam par erat, aut alienas functiones vsurpabant.

De eximia illa dignitate & munere seu primatu archiepiscopi, quia nulla vllo vnquam tempore fuit controuersia, nulla de eo lex lata est. Cum republica simul (christiana duntaxat) & e visceribus eius natus, perpetuo ius suum, in interregnis præsertim, obtinuit, nec eum quisquam, vllo vnquam tempore ante hos aliquot annos conuellere, vel debilitare tentauit, licet essent nonnunquam archiepiscopi non vsque quaque senatui, vel populo, vel ordinibus regni grati. Intelligebant nimirum homines, litterarum quidem atque doctrina rudes, sed naturali ingenio præpollentes, & vsu rerum prudentes amantesque patriæ, non personæ, verum loci ac dignitatis amplissimæ prærogatiuam illam esse. Atque adeo non tam loco ac personæ archiepiscopi, quam insigni regni parti, hoc est, maiori Poloniæ, iuste ab vniuersa republica siue indultam siue relictam esse. Cum enim quodam tempore insignia regni vna cum regis domicilio & coronatione, e maiore Polonia in minorem translata essent, optimo iure maiores Poloni ius & prærogatiuam illam eximiam primori suo totiusque Poloniæ senatori vendicarunt & retinuerunt. Verum id, vt multa alia, litteris mandatum non est. Fortassis autem etiam authenticis litterarum monimentis demonstrari potest, archiepiscopos Gnesnenses ea prærogatiua vsos esse, non illis quidem vetustioribus, sed ante nona-

D ginta

ginta tamen annos conscriptis & editis. Extat decretum electionis, ALEXANDRI, præsidente fratre eius FRIDERICO, Cardinale & archiepiscopo Gnesnensi, conscriptum, in quo apparet, non modo eximia illa archiepiscopi dignitas & auctoritas, verum etiam primatis nomen. Quæ cum nemine repugnante, consentientibus autem omnibus consiliariis regni & nobilitate, ab archiepiscopo tunc vsurpata sint, constat, non recens ea tunc in rempublicam irrepsisse aut inuasisse, sed inueterata e moribus maiorum repetita & retenta esse. *

An non agnouit autem etiam in eo senatus, auctoritatem primatus, cum defuncto eo ipso Io. Alberto rege Toruniæ, intra septimam diem triginta senatores e maiore Polonia, ab eo ipso Friderico Cardinali & archiepiscopo euocati, Louicium conuenerunt, & consilia inter se habuerunt? Conueniebant etiam minores Poloni, sed ex itinere domos reuersi sunt, cum archiepiscopum Louicio discessisse cognouissent. Nec est existimandum, quod ii, senatores inquam, ad Fridericum, non quasi ad archiepiscopum & primatem, sed quasi ad Cardinalem & filium regis conuenerint. Cur enim ad regis filium conuenirent, libertate electionis vti volentes? Cur autem ad cardinalem, cardinalitiam dignitatem non modo ab electionis negotio, verum etiam a tota republica, vt infra patebit, alienam esse contendentes? Habemus igitur, si non legibus, decretis certe (quæ legum vim & pondus obtinent) & actis superiorum temporum, expressas prærogatiuas & officia præcipua archiepiscopi Gnesnensis, vti primatis regni, sine vlla controuersia antiquitus, non ambitiose vsurpata, sed assentientibus omnibus ordinibus iure optimo vsitata. Habemus etiam ipsum primatus nomen. Quid igitur obstat, quo minus eum ipsum primatum, is ipse archiepiscopus, vna cum cæteris eius prærogatiuis & officiis, deinceps quoque retineat? Nimirum, vt is non modo conuocet senatum, verum

* Hic archiepiscopus KARNKOVIUS decretum de electione Alexandri regis omnino ex parte inseruit, quod studio, verborum copiam euitans, omisi.

rum etiam praesit & moderetur consilio publico, proponat, quibus de rebus consultandum, & quomodo suffragia ineunda sint, eaque, si diuersa sint, conciliet, legationibus externis locum faciat, ac de senatus sententia respondeat, & si quid est praeterea, quod in interregno cum auctoritate peragendum sit. Coniuncta enim haec sunt, neque recte, a se inuicem disiungi possunt. Coronandi autem regis, & exigendi ab eo iusiurandi legitimi ius, dubium non est, eidem archiepiscopo competere: non modo eodem iure, verum etiam CASIMIRI M. priuilegio, quo eum etiam primum principem regni appellat. Priuilegii vero illius confirmandi & illustrandi causa illa fuisse videtur, quod superiore tempore, cum siue vacaret tunc archiepiscopatus sedes, siue archiepiscopus ipsa que Gnesna, vbi insignia regni tunc adhuc asseruabantur, in HENRICI ducis Silesiae (qui maiorem Poloniam a cetera auulsam tunc obtinebat) ditione esset, pater CASIMIRI, VLADISLAUS Locticus, rex electus, coronatus non fuit. Aliquanto enim post, Henrico duce mortuo, coronatus est, vt habent CROMERI nostri Varmiensis episcopi annales. Ne igitur archiepiscopus in posterum iure suo cecidisse iudicaretur, praesertim translatis Cracouiam insignibus regni, CASIMIRI diplomate cautum est. Idem etiam CASIMIRUS graui poena sanxit, si quis praesente eo ipso archiepiscopo, gladium strinxerit in alium, siue vulnerauerit, siue non. Ex his igitur luce meridiana clarius fit, ius primatus regni penes archiepiscopum Gnesnensem esse antiquitus in Polonia.

His illa quoque adstipulantur, quod regnante SIGISMUNDO seniore, & absente a regno, in Lithuania vero degente, PETRUS GAMRATUS archiepiscopus, Petricouiae comitiis regni cum potestate praefuit, & senatus consulta constitutionesque comitiales promulgauit. Praesente etiam eodem rege, sed aegrotante, postea ibidem, in aula archiepiscopali, eo ipso GAMRATO praesidente, saepe numero senatus habitus est. Post eum quo-

SIGISMUNDO AUGUSTO regnante ad eundem modum, apud NICOLAUM DZIERZGOVIUM archiepiſcopum non ſemel publice conſultatum eſt. Viuunt adhuc non pauci, qui vtrumque compertum habent, & interfuerunt. Ad rem facit & illud, quod cum eximia ſit in eccleſia catholica Cardinalium S.R. eccleſiæ dignitas, & habeantur ii in republica Chriſtiana archiepiſcopis, metropolitanis, primatibus eccleſiaſticis (quorum mentio facta eſt antea) & patriarchis ſuperiores. Non cedit eis tamen in ampliſſimo regni ſenatu, loco, honore, & auctoritate archiepiſcopus Gneſnenſis, velut primas regni. Quod quidem euidenter patuit quodam tempore, nempe regnante CASIMIRO III. Nam cum SBIGNEUS OLESNICIUS, epiſcopus Cracouienſis, vir, cum de eccleſia, tum de republica noſtra, bene meritus, a pontifice maximo cardinalis creatus eſſet, prærogatiuaque eius dignitatis in ſenatu vti, & VLADISLAUM Gneſnenſem archiepiſcopum ante ire vellet, obſtitit archiepiſcopus, vti primas regni, nec ſolus, ſed cum proceribus & ſenatoribus maioris Poloniæ. Et cum Rex, cum ceteris ſenatoribus pertinacius Sbigneum tueretur, omnes cum archiepiſcopo ſenatu exceſſerunt. Controuerſia tandem, diſceſſu Cardinalis e comitiis, ſopita eſt. Vt autem placide peragerentur comitia, archiepiſcopus quoque in gratiam regis & ſenatus diſceſſit. Sed expendamus diligentius cauſas tantarum diſcordiarum. Nunquid honor ampliſſimus cardinalatus offendebat maiores Polonos? Minime. Erant enim tunc omnes ſedi apoſtolicæ addictiſſimi, & cultores fidei catholicæ ſtudioſiſſimi.

Nulla tunc hæreſis, nullum ſchiſma vexabat regnum, nullæ offenſiones ſecularium aduerſus ſpirituales intercedebant: imo Sbigneus epiſcopus, propter ſummam grauitatem, prudentiam, magnanimitatem, & in dicenda ſententia, tuendisque iuribus publicis libertatem, & auctoritate in ſenatu & gratia populari maxime pollebat. Nemo erat, qui & reipublicæ eum ho-

noren

norem, & patriæ communi, ornamentum inuideret. Quid igitur spectabatur? Hoc nimirum, ne regnum in euentum mortis regis absque ordine esset, & absque vno, qui ceteris omnibus præiret. Nemo enim obtemperasset Sbigneo, vti cardinali, sed vt episcopo Cracouiensi. Itaque episcopum Cracouiensem archiepiscopo Gnesnensi præferri, & primatum maioris Poloniæ in minorem Poloniam transferri nolebant. Hinc est, quod hisce, quæ memorauimus, ornamentis, nudari se maiores Poloni indigne ferebant, cum iam antea minores Poloni primæuitatem & præcedentiam ocupassent. Hæc sunt verba *Dlugossi*, temporis illius historici. E quibus aperte colligitur, ortam fuisse controuersiam, non tam inter duas personas, quam inter consiliarios terrarum maioris minorisque Poloniæ, non de excellentia cardinalatus, aut metropolitanæ sedis honore, sed vtrum in ordine consilii publici præire deberet episcopus Cracouiensis, cardinalis, archiepiscopo Gnesnensi, an vero archiepiscopus Gnesnensis, vti primas regni, cardinali, vti episcopo Cracouiensi. Decretumque regis & senatus in conuentu ea de re intercessit, vt deinceps nemo cardinalatus honorem sibi conferendum procuret, inconsulto rege & senatu, ne id in præiudicium excellentiæ, archiepiscopi & terrarum maioris Poloniæ derogationem factum esse videatur. Ac iure quidem videtur esse latum. Licet enim insignia regni, Gnesna Cracouiam, contendentibus & instantibus principibus, sint translata, manet tamen priuilegium loci & terrarum maioris Poloniæ. Quæ quidem constitutio, seu decretum, in conuentu latum, si quis recte expendat, stabilit, & firmat primatum regni, ita, vt si nihil aliud sit, ad comprobandum primatum, satis illud superque fuerit. Atque hoc equidem diuina quadam prouidentia factum esse reor, vt in minori Polonia coronæ locus & coronationis, in maiore vero coronatoris & moderatoris consiliorum, ac ipsius electionis regis, tempore interregni

esset, vt scilicet, communicatis hoc modo prærogatiuis, altera alteri libertatem electionis regis præripere non posset.

Nec sane in sola Polonia nostra, hoc est archiepiscopi Gnesnensis primatus priuilegium. Habet etiam Hungaria suum primatem, archiepiscopum Strigoniensem. Habuit non ita pridem, nec scio, an etiam nunc habet Anglia, (licet peruersa cum religione, & in tyrannidem conuersa omni fere ratione iusti regni) Cantuariensem. Habent fortassis & alia christiana regna. Quod autem is ipse honor Gnesnensis archiepiscopi apud nos nunc in controuersiam a quibusdam vocatur, in causa est, religionis mutatio, seu potius corruptela. Quæ postquam in regnum hoc aliunde irrepsit, & hunc & omnium spiritualium, (vt vulgato verbo vtar) honorem, dignitatem, opes & auctoritatem, funditus euertere conatur, quo maiore licentia in strage animarum innoxiæ plebis debacchetur, & in pristinam barbariem & impietatem degeneret. Lupi quidem cum pastoribus (vt est in fabulis) fœdus inire voluisse memorantur, ea lege; si sibi canes custodes gregis dederentur. Sed viderint sapientes isti custodes reipublicæ, quam bene consulant ornamentis, commodis, & libertati publicæ, cum sit equestri & senatorio ordini honorificus & perutilis, hic, de quo agimus, primatus, vt vniuersæ reipublicæ salutaris ac pæne necessarius. Præclarum sane is est documentum summæ libertatis ac æqualitatis iuris nostræ gentis, quod ea in regno, cuius eximia quædam in omnes potestas esse solet, habet vnum de medio nostrum, fratrem nostrum, os ex ossibus nostris, carnem de carne nostra, in tanta dignitate constitutum, vt regem non multis passibus sequatur, & ab eo reuerenter colatur, libertatemque sceptri sui a primate restringi non moleste ferat, quemadmodum ostensum est superius. Qua de causa olim Lacedæmonii, populorum Græciæ sapientissimi & bellicosissimi, libertatisque studiosissimi, ephorum magistratum in republica sua instituerunt, qui actiones regis obseruaret,

ert, iisque moderaretur. Porro in interregno maior eſt etiam primatis vſus, maius decus in republica. Erumperetur ſane non nunquam in perniciofas factiones, diffidia, ſeditiones & bella ciuilia, niſi vnius primatis auctoritate ceteri ſenatores, & nobilitas vniuerſa in officio contineretur, & diuerſa ſentientes in concordiam redigerentur, principum quoque ac ducum feudatoriorum ambitus primatu retunderetur, vt minus ii moleſte ferant, primatum regni in conſiliis & conſeſſibus publicis ſibi præferri, & præſidere. Quod, quam multum ad libertatem retinendam conferat, non eſt obſcurum. Iam vero regis quoque ipſius intereſt, habere vnum in regno ſuo recti monitorem, qui ad altiora non aſpiret, & qui ſuborientes non nunquam a turbulentis & ſeditioſis hominibus contra ipſum immerentem, aut etiam bene merentem, motus, prudentia, conſiliis, & auctoritate ſua placide componere poſſit, ipſumque de exiſtimatione, ne dicam de ſtatu ſuo, periclitantem, dilutis ſiniſtris ſuſpicionibus, tueri & ſubleuare. Conſtat igitur dictante natura, ratione, ornamento & vtilitate publica, vſu & moribus antiquis, exemplis aliorum bene conſtitutorum regnorum, decretis deinque & legibus regni, & inueſtituris regum ſuperiorum, primatum antiquitus eſſe, & eſſe debere, in regno & republica noſtra, eumque honorem, cum ſuis officiis proprium & peculiarem eſſe Gneſnenſis archiepiſcopi. Non debet autem is conuelli, aut labefactari ab iis, qui cuſtodes haberi volunt libertatis publicæ, & qui iura ac priuilegia & prærogatiuas ſuas, ſartas tectas conſeruare cupiunt.

III.

Vita IOAN. PRZEREMBSKI, Archiepiſcopi Gneſnenſis XLVIII. *auctore* NICOLAO BUZENSCIO,

Ex terra Siradienſi, quæ patriciis fœcunda viris, orta eſt domus Przerembſciorum, cuius inſigne gentilitium *nowina*, ma-

magnum decus, quod ſuperiori & noſtra ætate ſummis fulſit honoribus. Libet curſim memorare Maximilianum Przerembcium, regni Referendarium, caſtellanum Siradienſem, demum Lancicienſem palatinum, CÆCILIÆ RENATÆ aulæ præfectum. Is a morte VENCESLAI comitis de *Leſzno*, ſupremi cancellarii, IACOBO ZADZIK, epiſcopo Culmenſi, ad cancellariatum anno 1628 promoto, cum omnium opinione deſtinaretur ei ſigillum minus, nempe officii gradu proximo, maturo ac doctrina rerumque in republica longo vſu exercito, a tanto magiſtratu aliqua ſimultate ſacri ordinis, quem aliquando offenderat, excluſus eſt, ceſſitque THOMÆ ZAMOYSCIO, palatino Kiiouienſi. Eius filius vnicus, Carolus Sigiſmundus, palatinus Siradienſis, indole, genio, a maioribus non degener. Ex hac ſtirpe nobiliſſima prodierat IOANNES noſter PRZEREMBIUS, cuius pater fuit IACOBUS, caſtellanus Siradienſis, frater germanus VINCENTII PRZEREMBII regni procancellarii, qui Premislienſis, Plocenſis, ac demum Vladislauienſis ceſſit fatis epiſcopus. Erat in eo animus ingens, munificentia, eruditio ſingularis. A patruo non degenerauit archiepiſcopus, induſtriæ, probitatis, elegantioris doctrinæ præclarus, cum in regia SIGISMUNDI I. comparuiſſet, erat in omnium oculis prudentia, vigor magnis par negotiis Przerembii. Fuerat primum præpoſitus Cracouienſis, eumque SAMUEL MACIEIOVIUS, epiſcopus Cracouienſis, regni cancellarius, regentem ſuæ dixerat cancellariæ, quod ille munus cum ea integritate tractauit, vt gradus illi fuerit ad altiores aſſequendos in eccleſia & republica honores. Porro cum Macieiouius aqua intercute præfocatus e viuis abiiſſet Cracouiæ a. 1550, aliquot elapſis ab obitu Macieiouii diebus, aulicum illius famulitium in illa triſti orbitate in arcem Cracouienſem venit ad regem, eiusque nomine Przerembius, præpoſitus & adminiſtrator epiſcopatus Cracouienſis, ſermonem dixit ad SIGISMVNDUM AUGUSTUM, qui extat in actis regni Lucæ Gornicii impreſſus, ſigillumque regni in mani-

manibus regis depoſuit. Ab obitu Macieiouii electus adminiſtrator epiſcopatus Cracouienſis, rem catholicam a nouatorum dogmatibus, in illo tractu, vt concuſſam erigeret, omnem curam, ſollicitamque intendit vigilantiam. Venerat in Poloniam FRANCISCUS STANCARUS, Mantuanus, ob aliquod flagitium proſcriptus, erroresque peſtiferos euulgabat, contra quos ORICHOVIUS egregium & doctorum cenſura probatum procudit librum, cui titulus: *Chimaera*, ſiue de Stancari funeſta regno Poloniae ſecta, qui etiam externa fatigauit prela.

Rex non diu paſſus tantum vacare magiſtratum, Ioannem Ocieſcium, qui fuit procancellarius, renuntiauit cancellarium, ad procancellariatum promouit Przerembium, mox epiſcopum Chelmenſem deſignauit, qui etiam regem, deducentem corpus BARBARAE reginae Vilnam, fuerat ſecutus. Ab obitu Barbarae Radiviliae noua cura inceſſerat regem tertii matrimonii, poſt bina ſterilia, prole contrahendi. Digna regali throno & thoro viſa CATHARINA Auſtriaca, vidua relicta FRANCISCI Mantuae ducis, quocum non niſi ſex vixit hebdomadis, FERDINANDI I. imperatoris filia, ſoror Eliſabethae germana, prioris SIGISMUNDI AUGUSTI vxoris. Quamuis hoc matrimonium, vt Bielſcius lib V. fol. 597 refert, etiam populo diſpliceret, taciteque complures muſſarent, triſtem & improſperum exitum hoc ſortiturum connubium, quod quidem exitus luculenter comprobauit. Deſignauit igitur SIGISMUNDUS AUGUSTUS ad ſponſalia paciſcenda legatos Viennam, NICOLAUM RADIVILUM, Ducem Olycae & Nieswiecii, palatinum Vilnenſem, IOAN. PRZEREMBIUM, regni procancellarium & MARTINUM CROMERUM, canonicum Cracouienſem, ſecretarium, qui poſt obiit epiſcopus Varmienſis. Ex voto regis confectum negotium, & Catharina Olmucio, vſque Cracouiam, deducta honorifice ab ANDREA NOSCOVIO, Plocenſi epiſcopo, FELICE SRENSKI, palatino Plocenſi, ibidemque baſilico ap-

paratu nuptiarum celebrata hilaria & a NICOLAO DZIERZGOVIO archiepiscopo Gnesnensi, regali cincta diademate. Venerat cum Catharina Ferdinandus archidux, eiusdem frater germanus, qui non diu Cracouiæ moratus Viennam abiit, vtque narrat Bielscius, odia & simultates procerum Polonorum incurrerat, vrgendo eam cautionem magno motu, vt in casu regii absque prole decessus, regni successio ad domum deuolueretur Austriacam. Obstitere acrius huic propositioni, comes TARNOVIUS, Castellanus, & PETRUS KMITA, palatinus Cracoviensis, ac præsente Ferdinando magna dicendi libertate allocuti regem dixisse memorantur: *hæc nullatenus euinci posse, nec regiae potestatis esse tantum determinare negotium.* Aderat ibi præsens Przerembius, quem memorati proceres compellarunt quæsieruntque, an in pactis connubialibus hoc inseri permiserit, sed ille integerrima fide negabat, & nihil quidem simile in pacta irrepsisse affirmabat. Cumque vir nobilis Guoinius hæc de Przerembio temere sparsisset, calumniam hanc vindicare, duelloque cum illo experiri, quanquam id sanctiorem dedecet togam, non detrectabat.

Reginæ BONÆ, cum ingentis pretii thesauris discedenti, tanta obstabat constantia, vt nec pretio ad obsignandas eidem litteras passus induci potuerit, cum ceteri ad lucrum sonitumque auri verterent suffragia. Hinc regina BONA subinde dictitabat, vnum Przerembium regi fidelem, amantemque reipublicæ extitisse.

Non multo post, regis AUGUSTI fauore, Dzierzgouio consentiente, cum futura successione coadiutor a PAULO IV. approbatus, Dzierzgouio, non diu superstiti, successit. Peracto ingressus sui, & iustorum funebrium Dzierzgouio persolutorum, apparatu, anno 1560 vertente, Przerembius ob notam perspectamque ciuilis prudentiæ collectam in regia existimationem, ad imperatorem FERDINANDUM a rege mittitur legatus, vt nego-

tium

tium ſucceſſionis & hæreditatis in ducatu Barenſi, ab obitu reginæ BONÆ, SIGISMUNDUM AUGUSTUM concernentis, euinceret. Tota vero res ab arbitrio pendebat Ferdinandi. Erant alia præter hoc legationis contenta Hungarica, in rem IOAN. SIGISMUNDI, principis Hungariæ, ISABELLÆ, ſororis SIGISMUNDI AUGUSTI, filii, Pruthenica denique, cum Pruſſia tanquam additamentum imperii Romani cenſeretur, & pro ea aſſerenda, magno motu in conuentibus imperii actum fuiſſet. In Sileſia vectigalia & exactiones inſolitæ premebant Polonos mercatores, in illum tractum excurrentes. Hæc omnia complananda Przerembio rex commiſerat, quem tamen euentum legatio hæc ſplendide ſuſcepta, nacta ſit, innuit Gornicius, perfecitque vt memorata hæreditas, ad fiſcum Hiſpanum reducta, certa penſione ex reditu Neapolitani regni, Sigiſmundo, eiusque ſanguinis ſucceſſoribus, compenſaretur.

Porro neque hic prætermittenda, quæ Chriſtophorus Varſevicius in ſuo libro de legato & legatione, conſignauit. „Non poſſum non, inquit, meminiſſe, quid Ioanni Przerembio, Gneſnenſi archiepiſcopo, ſummo illis temporibus viro, ſed paulo in ſuos indulgentiori, Sigiſmundi Auguſti apud Ferdinandum Cæſarem legato, Viennæ acciderit. Cum eius quidam aurigæ, prægrandi curru, octo iunctis equis, ad lignationem extra vrbem diſceſſiſſent, & aut alterius ſiluæ ignari, aut longius iter veriti, in proximiorem & Viennæ magis vicinam diuertiſſent ſiluam, quæ imperatoris ipſius non tam vſibus, quam deliciis, ſeruabatur. Ex hac igitur ſilua, cum prægrandem illum, lignis onuſtum, currum, Viennam traherent, FERDINANDUS, vt eos conſpicatus, ira ſubito exarſit, & aurigas, cuiusnam eſſent, quæſitum mittere, & ipſe demum interrogare eos non dubitauit. Tum quidem, aurigas illos, barba, paucis illis Latinis voculis, ſapientes, archiepiſcopi Gneſnenſis, legati nati, & regni Poloniæ primatis, ac

 apud

„ apud cæſaream maieſtatem Poloniæ regis oratoris eſſe ſe, te-
„ſtati ſunt, & adeo Latino ſermone Cæſari reſpondere non du-
„bitauerunt, quo magis re, vt fit, in riſum verſa, & quod vel ipſi
„aurigæ Polonorum Latine loquerentur, omnibus inter ſe iocan-
„ tibus, iuſſi tandem impune ſunt proficiſci, non ſine tacita
„ quadam reprehenſione, quod vel aurigæ ſibi ſumſiſſent
„ tantum in alieno ſolo libertatis.

Vienna, perfunctus legatione, cum in Poloniam reueniſſet, prima & præcipua illum exercuit cura, vt nationale concilium congregaret, quod quidem ſine omni comperendinatione præſtitit. Varſauiæ ſynodum induxit prouincialem, ad quam regni epiſcopos, tum & clerum numeroſum vocauerat. Cæterum cum concilium Tridentinum a PAULO IV. intermiſſum, in anno 1560, mandato PII IV, decimo ſexto Calendas Martias reaſſumptum fuiſſet, cui præſidebant IOAN. MORONUS, STANISLAUS HOSIUS, LUDOVICUS SIMONETA, BERNARDUS NAVAGERIUS, S. R. E. cardinales, deliberatum in ea ſynodo, concluſumque, vt legati a tota prouincia ad illud ſacrum oecumenicum mitterentur concilium. Et hi quidem deſignati, VALENTINUS HERBURTUS, epiſcopus Przemislienſis, STANISLAUS FALENTIUS, epiſcopus Theodoſienſis, ſuffraganeus Gneſnenſis, abbas Suleiouienſis, itineri ſe accinxerunt, & Tridenti ad finem concilii manſerunt, quod finitum PIUS IV. cum XXVI. cardinalibus Romæ 1563, VII. calend. Februarii, pontificatus ſui anno quinto, confirmauit.

Venerat ad eam ſynodum STANISLAUS ORICHOVIUS, qui agnito errore ad vnitatem eccleſiæ redierat & hæreticos ſcriptis, fidem orthodoxam aſſerendo, magno ardore oppugnauerat, tantopere a catholicis deſideratus, qui dum vitio erroreque ſeculi a recto lapſus fuerat tramite, publice omnibus audientibus eleganti oratione, quæ typis vulgata extat, palinodiam decantauit.

Cæterum Przerembius, vt in omnibus ſe bonorum ope-

rum exhiberet exemplum, nobilem iuuentutem in aula sua ita educabat, vt bonis moribus litterisque exculta in spem & solatium ecclesiæ reipublicæque formaretur. Non ignarus, ecclesiæ, reipublicæ seminarium esse, iuuentutem recte a primis annis educatam, quam qui probe informat, eum de republica mereri quam optime. Igitur euocauit ex Academia Cracouiensi Benedictum Herbestum, qui post canonicus Posnaniensis, Societati Iesu se aggregauit, in eodem religioso coetu pie naturæ concessit. Eidem illam pubem archiepiscopus erudiendam commisit, quo in munere ita se gessit, vt tanti principis fauorem & propensam voluntatem, spartam hanc ornando, promeruerit.

Eiusdem archiepiscopi temporibus, Liuonia, vicina magno ducatui Lithuaniæ prouincia, quondam iuris & dominii militum, seu fratrum a gladio, quos ordini militum Theutonicorum, seu crucigerorum in Prussia vniri decreuerat GREGORIUS IX, summus Pontifex, ac ab eo tempore magistri Prussiæ a Liuoniensibus magistris certa tributa ac obedientiam exigebant, vsque ad tempora ALBERTI Marchionis Brandeburgici, vltimi magistri Prussiæ, qui anno 1513 pecuniam, quam obedientiam, recipere maluit, ac quemadmodum Prutheni crucigeri, exemplo supremi magistri Alberti, a fide orthodoxa, religioso instituto, recesserant, nouitatesque in Germania pullulantes fuerant complexi, etiam Liuonienses eorum secuti exemplum ad Lutheranam desciuerunt sectam. Inde, vt Liuones dissidiis intestinis colligebantur, nec adeo remota ducis Moschoviæ vicinia, grauis ac infesta eos atterebat, GOTHARDUS KETLERUS, qui tum summæ rerum apud Liuones præerat, cum Liuoniæ, in tam apertum adductæ discrimen, nec auxilio posset succurrere, cum toto illo tractu in dominium & protectionem Sigismundi Augusti concessit, & facta fuerat Liuonia Poloniæ & Lituaniæ auctuarium. Gothardus Ketlerus, vltimus Livoni-

enʃium fratrum magiʃter, exemplo Alberti, exuit pallium ac ad Lutheri tranʃiit ʃectam, a rege nihilominus impetrauit, vt Curlandiam & Semigalliam ducis titulo, iure, vt vocant, feudali, cum ʃua poʃʃideret poʃteritate.

Quantam vero doctrinæ, integritatis, curæ paʃtoralis comparauerat exiʃtimationem Przerembius, magnus catholicæ religionis vindex & aʃʃertor, STANISLASU HOSIUS, in epiʃtola XXIV ad Martinum Sborovium, palatinum Poʃnanienʃem, luculenter teʃtatum reliquit.

Anno 1563. febri quartana correptus, conuentui a rege Lomzæ indicto intereʃʃe non potuit, & hac languens ægritudine, quæ omnem medicorum eluʃerat curam, Lovicii ʃupremum expleuit diem, annos natus XLIII. iureque hoc meretur elogium: *breuis pontificatus, ingens gloria.* Prout ordinauerat vltimæ voluntatis tabulis, in eccleʃia Louicienʃi ʃepultus eʃt primus archiepiʃcopus, & in hunc vʃque diem marmoreum illius viʃitur monumentum, in quo hæc legitur epigraphe:

DOMINO IOANNI PRZEREMBSKI ingenio, eruditione, grauitate, integritate vitae & pietate praeʃtanti viro, qui cum iuuenis procancellarius regni, rempublicam nauiter ac dextre geʃʃiʃʃet, Chelmenʃis epiʃcopus & mox Archiepiʃcopus Gneʃnenʃis, Primas regni & legatus ʃedis apoʃtolicae factus, ʃplendidam apud imperatorem Romanum Ferdinandum legationem, Sigiʃmundi Auguʃti Regis nomine, obiuit, nec multo poʃt immatura morte interceptus eʃt. Anno Domini M. DLXIII & ʃuae aetatis XLIII.

De eo Andreas Triceʃius, qui vitas archiepiʃcoporum, a Ianicio ʃcriptas, continuauit, hos verʃus pepigit

Hic ʃublime genus veris virtutibus auxit
Inʃignis pollens dotibus ingenii.
Parca ʃed in medio vitae hunc rapit inuida curʃu
Cum patriae poʃʃet commodus eʃʃe ʃuae.

IV.

Catalogus comitiorum, sub IOANNE III, Poloniae rege, celebratorum.

Annus	Locus	Successus.	IOANNE III. rege.
1676.	Cracoviæ.	integra	Coronationem rex electus, obtentu belli Turcici, vt vna sceptrum & exercitum teneret, diffidens inimicis suis, biennium distulerat. Præter solitam iurium confirmationem, iuramentum regis, pacta conuenta denuo publicata, tributa quoque extraordinaria scita, & plurima negotia decisa. Mareschallus nuntiorum NICOLAUS *de Grarow* SIENIAWSKI, vexillifer regni, cum decem nuntiorum deputatis, ex senatu nemo, subscripsit [ZALUSKI Tom. I. p. 678]
1677.	Varsaviæ.	integra.	A medio Ianuarii ad finem Aprilis protracta & varia negotia publica atque priuata decisa, tributa quoque scita. Mareschallus VLADISLAUS MICHAEL SKORASZEWSKI, vexillifer Posnaniensis, ante senatores subscripsit. [Zaluski T. I. p. 692.]
1678.	Grodnæ	integra	Prima ex lege constit. anni 1673., p. 18 comitia Grodnæ celebrata, ex quo tertia quæque in Lituania habentur. Eiusmodi legem anno 1685, & post aliquoties iterum obtinuerunt Lituani. In his plurima negotia publica & priuata expedita. Mareschallus FRANCISCVS SAPIEHA, magni ducat Lit. stabuli præfectus ante senatores subscripsit. [Zaluski Tom. I. pag. 702.]

Post

Annus.	Locus Varsaviæ.	Successus rupta.	
1681.			Post trium mensium prorogationem termini, tandem in ipsa conclusione & valedictione regis, ANDREAS PRZYIEMSKI, castellanides Culmensis, protestatione contra procrastinationem & accensas in atrio candelas, rupit. Hunc alter DOMBROWSKI, pocillator Vilnensis, protestatione sequutus. Sic omnia laboriose acta consilia momento protriuerunt. [Coepta hæc comitia mense Decembri anni 1680, ad pentecosten 1681 durarunt] Mareschallus HIERONYMUS LUBOMIRSKI vexillifer regni. [Zaluski T. I. p. 710.]
1683.	Varsaviæ.	integra	Factione Gallica & thesaurarii regni MORSTINII, tum & coniuratione magnatum in regem abdicandum publice detectis, ordines sociati, legem de non toleranda residentia ministrorum quorumuis exterorum principum, foedus cum Cæsare contra Turcas, & alia negotia, concordes sanciuerunt. Mareschallus RAPHAEL LESZCZYNSKI, Vexillifer regni, ante senatores subscripsit. [Pater Regis STANISLAI. Zaluski Tom. I. Part. II. p. 803 & 814.]
1685.	Varsaviæ.	integra	A medio Februarii ad vltimum Maii, factione Gallica, impedimentum foederi cum Cæsare facessente, protracta, tandem variis sancitis tamen bene finita. Mareschallus ANDREAS GIELGUD, magni ducat. Lit. notarius, ante senatores subscripsit.

Pro

Annus.	Locus	Successus	
1688.	Grodnæ.	rupta	Propter procerum Lituaniæ diſcordias & odium in regem, qui in ſuam perniciem Sapiehas nimium euexerat, poſt duarum hebdomadarum, hactenus ſine exemplo, altercationes, ſuper electione Mareſchalli, tandem a Dombrowſkio, pocillatore Vilnenſi, mox & a Tokarzewſkio, pluribuſque nuntiis, proteſtatione rupta, adhuc ſub antecedentium comitiorum directore.
1688. d. 17 Nov.	Varſaviæ.	rupta.	Ex cauſa Ducis Neoburgici, qui ſponſam principem RADIVILIAM, IACOBO filio regis præripuerat, factione Sapieharum illi fauente, ore Solkowſkii, Dapiferi Wilkominenſis & nuntii, rupta. Mareſchallus primo ſtatim die, raro exemplo, electus STANISLAVS SZCZUKA, Referendarius regni, qui valedicens Regi vere dixit: *rupturam comitiorum peſſimum ad opprimendam libertatem iuraque omnia conuellenda eſſe inuentum medium.* Illis comitiis LISINSKI, nobilis Lituanus, ex delatione epiſcopi loci ordinarii, atheiſmi accuſatus, non confeſſus, igne combuſtus eſt. [Zaluſki Tom. I. P. 2. p. 1064. & 1132 & 1142]
1690.	Varſaviæ.	integra	Ordinatio de modo comitiorum, negotia ordine tractandi, qui vtinam & ſic ſeruaretur, rationes ærarii, locatio exercitus in limitibus regni magno bono prouinciarum, tributa quoque & alia ſancita. Mareſchallus THOMAS DZYALINSKI, Capita-

Annus	Locus	Succesſus.	
			pitaneus Bratianenſis, tertio die electus, ante ſenatores ad conſtitutionem deputatos ſubſcripſit. [Zaluſki Tom. I. P. 2. p. 1161.]
1693	Grodnæ	irrita	Menſe Ianuario. Turbulenta. Tandem nuntii Lencicienſes in ſola vetatione prolongationis perſiſtentes, abſque proteſtatione, diſceſſerunt, & ſic irrita fecerunt. Mareſchallus ANDREAS MICHAEL de KIRSZENSTEIN, Notarius campeſtris magni ducatus Lituaniæ. [Zaluſki Tom. I. P. 2. p. 1300.]
1693	Varſaviæ.	irrita (necinchoata)	Menſe Decembri. Quod abſentis Regis, Zolkeviæ ægri decumbentis, excuſationem audire nollent, Regemque expectare, motu Lituanorum irrita facta, ſub præcedenti directore. [Zaluſki Tom. I. P. 2. p. 1300.]
1695	Varſaviæ.	irrita	Factione Sapieharum, iudicia comitialia, ad quæ ab epiſcopo Vilnenſi Brzoſtowſkio citati erant, metuentium, adhuc feruente, obtentu, directionem nuntiorum collegii KIRSZENSTEIN non competere, neque inchoare comitia, nec alium Mareſchallum eligere Lituani nuntii permiſerunt, donec vltimo die legali expirante, ſine omni actiuitate comitia rixoſe dilata, ſoluerentur irrito. Prono exemplo, ſi quis per turbulentiam vim conſiliorum equeſtri ordini excutere, & ad ſolum Regem cum ſenatu reducere voluerit. [Zaluſki Tom. I. P. 2. p. 1509.]

Mortu-

Annus	Locus	Succesſus.	
1696	Varſaviæ.	rupta	Mortuo Rege, conuocatio ordinum generalis, menſe Septembri. Ob reginæ viduæ Cardinalis primatis cum filiis regiis diffidentias, atque Lituanorum motus, turbulenta. Tandem in ipſo per HORODYNSKIUM, Czerniechovienſem nuntium, ære corruptum a regia domo (quæ circumſcriptionem dignitatis iure æqualitatis, ac prætenſiones ordinum in confoederatione concordi metuebat) proteſtatione rupta. Igitur tantum confoederatio ſtatuum ad defenſionem mutuam, in illis patriæ motibus ſcripta; in qua commiſſio, ad ſoluendum, ab amicis regiæ domus, quarto confoederatum exercitum. Pax antiqua cum diſſidentibus, ordo & ſecuritas futuræ electionis, iniuriarum ducum exercituum regni & m. d. Lit. ab epiſcopis ad comitia electionis dilatio, ſancita, nihil præter ea actum. Mareſchallus STEPHANVS HUMIECKI, dapifer Podoliæ [poſt palatinus Podoliæ] qui tamen, ob ruptam actiuitatem ſuam, acta non ſubſcripſit.
1697.	Varſaviæ.	Sciſſio	Electio ab vniuerſis regni nobilibus in id conuocatis, factionibus, Gallica reginæ & candidatorum aliorum in diuerſa diſtractis, turbulenta. Quibus Lituanorum pro aſſerenda coæquatione iurium & libertatum ſuarum cum regnicolis, contra violentias Sapiebarum, magni motus acceſſerunt. Tandem mareſchallum, Gallis

Annus	Locus	Succeſſus.	
			BIELINSKIUM, ceteris LESZCZYNSKIVM, promouentibus, ille pluralitate votorum electus comitiorum mareſchallus, denique pridie termini, in ſciſſione FRIDERICVS AVGVSTVS, Elector Saxoniæ, & FRANCISCVS princeps de CONTY electi reges. Illum epiſcopus Cujaviæ Dąmbſki, hunc Cardinalis primas in campo proclamarunt, vtut iuramento ſeſe adſtrinxerant, nullum ſe electum, niſi concordibus votis nominaturos. Mareſchallus equeſtris ordinis CASIMIRVS BIELINSKI, ſuccamerarius regni.
1697.	Varſaviæ.	Rokoſz	Pars Gallica in concilio confirmatorio electionis ſuæ, *Poparcie* vocatur, tanquam republica in periculum, per vicinum potentem principem electum præcipitata, Rokoſz d. 26 Auguſti ſanciuit. Mareſchallus tanti motus, STEPHANVS HVMIECKI, vir ſapiens & moderatus, electus.

V.

Verſuch einer ausführlichen u. zuverläſigen Geſchichte vom Leben u. Glaubensmeinungen ANDREAS DVDITHS, geweſenen Biſchofs, wie auch dreier Kaiſer Raths und Geſandtens in Pohlen, aus deſſelben auf der Eliſabetaniſchen Bibliothek in Breslau befindlichen handſchriflichen Briefen und andern Nachrichten zuſammen getragen und ans Licht geſtellet von CARL BENJAMIN STIEFF, Lehrer des Eliſabetaniſchen Gymnaſii in Breslau, wie auch der Kaiſerl. Franciſcaniſchen in Augsburg und der Kaiſerl. Königl. zu Rove-

redo

redo in Tyrol, und der Churfürstl. Maynzischen in Erfurt Akademien der Wissenschaften, ingleichen der Königl ichen und Herzogl. deutschen Gesellschaften in Königsberg, Göttingen, Jena und Helmstädt, der Jenaischen gesellschaft, wie auch der Leipziger u. Zittauischen Gesellschaft der freien Künste Mitgliede. Breslau, bey Carl Gottfried Meyer. 1756.

hoc est:

Tentamen accuratæ certæque historiæ de vita & opinionibus in religione ANDREÆ DVDITHI, quondam episcopi, nec non trium imperatorum Romanorum legati in Polonia; ex eiusdem in bibliotheca Elisabethana Vratislaviæ asseruatis literis manu scriptis collectum, inque lucem editum a CAROLO BENIAMIN STIEFF, gymnasii Elisabethani Vratislauiensis professore, Academiarum Cæsareo Franciscanæ Augustæ Vindelicorum, Caesareoregiæ Rovereti in comitatu Tirolensi, & electoralis Moguntinæ Erfurti, nec non regiarum & ducalium Germanicarum societatum Regiomonti, Gottingæ, Ienæ & Helmstadii, societatis Latinæ Ienensis, Lipsiensis ac Zittaviensis societatum liberalium artium, socio. Vratislaviæ apud Car. Gottfr. Meyer. 1756 in 8. plag. 16.

Libellus hic singulari diligentia a doctissimo celeberrimoque STIEFIO elaboratus, negotia quædam in historia Polona obuenientia haud obscure dilucidat, ideo vitam DVDITHI, scripti huius ductu, integram hic adiiciemus, interpositis quibusdam nostris annotationibus.

ANDREAS DVDITH de Horehowicze, vir suis temporibus magnus, natione Hungarus, nobilibus parentibus natus Budæ, anno 1533 die XVI Februarii, patre consiliario regio, matre Itala, ex familia nobili SBARDELLATORVM, quæ anno 1572 mortua. Auunculi cura, AVGVSTINI SBARDELLATI, ex Hungaria Vratislauiam fuit missus, vbi a teneris vnguiculis litterarum prima fecit rudimenta, sub inspectione canonici

Vratislaviensis, IOANNIS HENKELII. Vratislavia studiorum causa in Italiam profectus est, vbi Veronae in REGINALDI POLI, cardinalis, amicitiam venit, qui eum, cum Paduam Venetiasque venisset, PAVLO MANVTIO, summo illis temporibus oratori, accuratissime commendauit, quo duce breui tantum in eloquentia & stilo profecit, vt inter eos, qui Latinae linguae puritate & eloquentia celebres sint, honestissimum locum obtinuerit. Cum postea a IVLIO III. summo Pontifice, POLVS, in aula eius purpuratus, ad reginam Angliae, MARIAM, legatus a latere mitteretur DVDITHIVS in comitatu eius fuit, quocum Tridentum, Dillingam, inde Bruxellas in Brabantia profectus est, vbi imperatorem CAROLVM V. salutare habuit honorem. Cum cardinalis Polus varia ob impedimenta illo tempore in Angliam proficisci haud potuisset, interim Dudithius ad Parisios, scientiarum causa, diuertit, qua data occasione linguae Graecae fundamenta, duce ANGELO CANINIO, Hebraicae vero, duce IOANNE MERCERO, iecit, in philosophia autem FRANCISCO VICOMERCATO magistro vsus est, cuius commentarios in meteorologiam Aristotelis, minus Latine scriptos, *Vicomercato* cupiente &. rogante, in elegantiorem stilum transfudit. Deinde in Angliam, fautorem suum sequutus, qui iam ibi in aula praesens fuerat, eo comite, principem ELISABETHAM alloqui occasionem habuit, quacum Latine locutus de ea dixisse fertur: *elegantissimo sermone prudenter disseruisse.* Fama de solida DVDITHII eruditione & in Hungaria ei amicos multosque fautores fecit, quam ob causam a consanguineis, vt domum rediret, rogatus fuit, quorum quidem preces libenter audiuit, circa finem anni 1557 redux ex Anglia in Hungariam factus & mox postea ab imperatore FERDINANDO I canonicus Strigoniensis, praepositusque Oberbaadii nominatus. Sequenti autem anno iterum in Italiam, in iurisprudentia proficiendi causa, profe-

ctus

ctus est, cum venia imperatoris, vbi Paduæ studiorum caussa fuit. Illo tempore et ibi erat popularis eius, STEPHANVS BATHOREVS, postea Rex Poloniæ, quocum simultates habebat, vt ex litteris patet Dudithii ad Cratonem, in quibus illum *perfidum Turcicum mancipium*, ex odio dixit. Paduæ Dudithius Dionys. Halicarnaff. iudicium de Thucydidis historia ex Græco in Latinum transtulit idioma, qui liber ab Aldo Manutio a. 1564 typis Venetiis exscriptus, & ab aliis postea alibi fuit. Vitam etiam REGINALDI POLI Cardinalis, quam LVDOVICVS BECCATELLVS Italico sermone conscripsit, Latinitate donauit. Consanguinei deinde iterum, vna cum fratre Paduæ præsente, precibus sollicitarunt, vt in patriam rediret, quibus vt satisfaceret, iter instituit per Hetruriam, Galliam & Germaniæ partem in Hungariam anno 1560. Florentiæ honore illo gauisus fuit, vt magnum Hetruriæ ducem COSMVM, salutaret, qui singulari gratia eum amplexus, litteras, reginæ viduæ Catharinæ Mediceæ perferendas, ei dedit, qua data occasione huic reginæ submisse apparuit, quæ hominis exteri, idiomatis Italici notitiam cum stupore, vt ait Reuterus in vita Dudithii, fuit admirata.

Sequenti anno FERDINANDVS I, imperator, Dudithium episcopum Tinensem in Dalmatia nominauit, PIVS IV vero summus pontifex a. 1562 die XXVIII Ianuarii confirmauit. Cum Hungariæ clerus synodum Tyrnaviæ a. 1561, mense Aprili, instituisset, DVDITHIVS & IOAN. SILVESTER COLOSVARIN., episcopus Chanadensis, oratores ad concilium Tridentinum electi fuere. Legatio hæc Tridenti a. 1562, mense Februario, præsens fuit, die vero VI. Aprilis, locum & votum in concilio obtinuit. Quinque in concilio Tridentino orationes, quæ editæ a Reutero extant, habuit Dudithius, sed illæ non omnibus ad palatum fuere, quia ingenti studio abusus quosdam abrogandos vrgebat, atque adeo pon-

tificis

tificis legati, Dudithii Tridento discessum acrius premebant, quem in finem Papa sua manu ad imperatorem, Maximilianum II, scripsit, vt Dudithium reuocaret, id quod breui factum est, & Dudithius Tridento discessit ad Cæsarem haud inuitus, cuius in gratia erat, quique eum episcopatui Chanadensi, morte Colosvarini vacuo, a. 1563 præfecit, nec non eodem anno episcopatum quinque ecclesiarum detulit.

Anno 1565 MAXIMILIANVS II, imperator, Dudithium ad Poloniæ regem, SIGISMVNDVM AVGVSTVM, ablegauit, vt concordiam inter regem & reginam CATHARINAM, Maximiliani II sororem, reconciliaret, sed nil efficere potuit, & rex, causata sterilitate honorifice eam in Germaniam, imperatori fratri, Dudithio illam comitante, remisit. Dudithius vero iterum in Poloniam imperatoris legatus venit, cui maxime hoc negotium datum erat, vt mortuo rege, regnum Poloniæ domui Austriacæ deferretur *.

Anno 1567 Dudithius episcopatum deposuit, ab ecclesia catholica Romana defecit, & REGINAM, virginem ex nobili genere STRASSORVM, seu STRAZZI, a CATHARINA regina in gynæceo suo a teneris educatam, matre, fratribus, consanguineisque eius in consilium adhibitis, in matrimonium duxit, quo facto, a summo Pontifice anathemate percussus, eius deinde imago Romæ in rogum imposita fuit. Quamuis imperator MAXIMILIANVS II grauiter Dudithium ob mutatam religionem reprehenderet, eius tamen gratia non excidit, qui oratorem ac internuncium perpetuum apud regem Poloniæ, consiliariumque suum intimum Dudithium con-

* Hoc iam frater CATHARINÆ, qui cum ea in Poloniam venerat, FERDINANDVS archidux, Poloniæ proceribus a. 1553 proposuit, expertusque est, iis in summo hoc consilium fuisse odio. Vid. vita archiepiscopi Gnesnens. Przerembii in actis his litter. trimestr. I. a. 1756. p. 34. Nescio igitur, quomodo Dudithius in re tam odiosa, successum sperare potuit, qui responsum, Ferdinando archiduci, illo tempore datum, vt mihi videtur, neutiquam ignorauit.

constituit. Paulo post, fixa Cracoviæ sede, ius indigenatus regni Poloniæ in comitiis Petricoviensibus anno 1567 obtinuit, vi cuius deinde ciuitatem SMIGLAM in maiori Polonia a Stanislao Cichowski emit.*

Quum septem annis coniunctissime cum vxore sua, ex qua filios filiasque suscepit, vixisset Dudithius, mortua ea, a. 1573, alteram duxit ELISABETHAM ZBOROVIAM, Petri, palatini Cracouiensis, & Andreæ, Mareschalci curiæ regiæ, Zboroviorum, soror germana, vidua comitis Tarnawski, quæ similiter ac prior vxor, in gynæceo reginæ Catharinæ antea fuerat,** quo coniugio, a. 1574 inito, Dudithius cum maximis in Polonia familiis affinitate se deuinxit, eoque felicius se domus Austriacæ negotia administraturum credidit, id quod vero minime euenit, & quidam ex familia Zboroviana in odio habebant Dudithium, qui ipse in epistola ad Cratonem, d. VII. Dec. a. 1574, exarata, scripsit: *Marsalcus curiæ regiæ, frater vxoris meæ germanus, id satagit per nuncium apostolicum, vt me apud Cæsarem perdant.*

G Mor-

* Certum est DVDITHIVM ius indigenatus obtinuisse, sine hoc enim ciuitatem SMIGLAM emere & possidere minime potuisset, id quod tamen ex documentis est exploratum. Nullus vero nobilis alienigena, cuiuscunque sit conditionis, latifundia & prædia acquirere potest, nisi prius iure indigenatus donatus, sin aliter, ærario publico bona addicuntur. Neque hoc obstat, quod nomen Dudithii in volumine legum haud inueniatur. Nam ante annum 1607 multi iure indigenatus ornati, quorum nomina in volumine legum non occurrunt, ab illo autem anno, ex lege constitut. a. 1641, nullum ius indigenatus valet, nisi de eo in volumine legum mentio fiat. Quod superest, non mirandum, Dudithium ius indigenatus obtinuisse & secure in Polonia vixisse: illo enim tempore proceres Poloniæ præ ceteris potentes a religione catholica dissidentes, amici eius erant, & Dudithius imperatoris legatus ob eruditionem solidam multum auctoritate valebat, ne dicam legatum omni securitate vbiuis gentium gaudere.

** ELISABETHAM ZBOROVIAM in gynæceo reginæ Catharinæ antea fuisse, auctor est Stanislaus Buzenscius. vide acta litter. a. 1557. trim. IV p. 258. Hoc celeberrimo auctori, amico meo, per litteras iam significaui, sed auctor nunc in annotatione huius libelli, citato meo nomine, scripsit: *sibi, me errasse, videri*, quia illo tempore, quo Dudithius matrimonium cum Zborovia iniit, neque regina Catharina in Polonia, neque Sigismundus Augustus rex viuus amplius fuere. Forte aliud quid doctissimus Stiefius, hæc scribens, cogitatione percurrebat. Nulla est enim ratio: quia a. 1574 Regina Catharina in Germaniam iam profecta, & rex mortuus fuerat, ergo Elisabetha Zborovia non potuit in gynæceo reginæ Catharinæ ab a. 1553 vsque ad a. 1565 esse.

Mortuo Sigismundo Augusto rege, Dudithius multum laborabat, vt archidux Austriae, ERNESTVS, Poloniae rex eligeretur, sed regis Galliarum, Caroli IX, legatus, IO. MONTLVC, episcopus Valesianus, commendatione Henrici Valesii praeualuit, qui Poloniae rex fuit electus & coronatus. Hic cum regnum, mortuo fratre, Galliarum rege, desereret, soliumque regium iterum breui deinde vacuum declararetur, Dudithius iterum omnem ad hoc conferebat operam, vt MAXIMILIANVS, vel potius filius eius, ERNESTVS archidux, Poloniae rex renunciaretur, sed irrita omnia fuere, & STEPHANVS BATHOREVS, Zbororviorum familia fultus, obtinuit regnum, quo factum est, vt Dudithius e regno Poloniae egredi cogeretur, vbi iam, vt ipse memoriae reliquit, insidiae & pericula ei parabantur.

Bielicium primum in Silesia, circa finem Febr. a. 1576, se contulit, inde Io. Praetorium Ratisbonam, ad caesarem MAXIMILIANUM suorum negotiorum causa, misit, quo breui & ipse venit, diuque ibi mansit. Imperatorem grauiter aegrotantem, & ex sententia medicorum breui moriturum adire non potuit, pleraque tamen postulata, & inter haec litteras Caesaris nomine datas, ad magistratus Vratislauienses obtinuit, quibus moniti fuerunt, vt Dudithium reciperent, omnemque ei beneuolentiam exhiberent. Mortuo Caesare Maximiliano, a RUDOLPHO II, imperatore Romano, ius & titulum liberi Baronis in Moravia obtinuit, vigore cuius ciuitatem PASCOV, in circulo Prerauiensi iuxta Silesiam sitam, emit, ibique per duos annos domicilium sibi constituit, quo tempore commentariolum de cometarum significatione scripsit, cuius prima editio Cracoviae a. 1579. prodiit. Vita rustica in Moravia Dudithio minime probata, ideo Vratislaviam cum familia se transtulit a. 1579, vbi tranquille viuens scientiis maxime vacabat, in primis, mathesi, physicae & medicinae. Tandem

dem a. 1582 morbo correptus, quem quidam medici vomicam, alii apoplexiam esse crediderunt, quique corporis vires sensim absumsit. Integra mente ad mortem vsque vsus a. 1589, placide, vt semper optabat, obdormiuit. Vratislaviæ in æde sanctæ Elisabethæ sacra tumulatus, vbi epitaphium eius, quod ad veritatem Dudithii animi characterem exprimit, huius tenoris legitur:

D. O. M.
ANDREAE DUDITHII
ab HOREHOVICZA
DNO in SMIGLA
ANTIQVITVS PROSAPIA VIRTVTE SINGVLARI
ERUDITIONE MULTIIUGA
DIVERSISSIMARVM LINGVARVM EXCELLENTI
COGNITIONE PLVRIMARVMQVE & MAXIMARVM RERVM VSV VERE ILLUSTRI
ET INCOMPARABILI VIRO
IIIm IMPP. FERDINA I. MAXIMILIAN. II
RUDOLPHI II CONSILIARIO
SUMMIS HONORVM TVM SACRIS TVM PROFANIS
LEGATIONIBVSQVE AMPLISS. APUD EXTEROS
REGES & DYNASTAS MAXIMA CUM
LAUDE PERFUNCTO
CHARISS. o. OMNIBUS ADVERSO NEMINI
CVNCTIS ADMIRATIONI
MARITO EXOPTATISS. o. ATQVE DESIDERATISS. o.
SVO & LIBERORVM NOMINE MVLTIS
CVM LACRVMIS POSVIT
ELISABETHA EX ILLVSTRI & AMPLISS. a.
SBOROVIORVM FAMILIA ORIVNDA
QVÆ VT IN HAC VITA CVM DVLCISS o.
CONIUGE PER ANNOS X CONIUNCTISSIME

VIXIT ITA NE MORTVVM
QUIDEM DESERERE SED CUM
EODEM IN EODEM
SEPULCRO QUIESCERE VOLUIT

VIXIT MARITUS	ILLA VIXIT
A. LVI. D. VII	A.
OBIIT BRESLAE	M.
XXIII FEBR	D.
MDLXXXIX.	OBIIT.

In ſecunda huius libelli ſectione, diligentiſſimus auctor, de Dudithii in religione opinionibus loquitur, ad quas intelligendas lectorem ad ipſum hoc ſcriptum remittimus.

VI

Collectionis magnæ omnium hiſtoriarum ſcriptorum Poloniæ & magni ducatus Lithuaniæ, quotquot ab initio reipublicæ Polonæ ad noſtra vſque tempora, extant omnium, ſcriptores quatuor I) POMPONII MELÆ, *deſcriptio Sarmatiæ, cum commentariolo* IOACHIMI VADIANI. II) AENEAS SILVIUS, *poſtea ſummi pontificis* PII II, *relatio de Polonia, Lithuania & Pruſſia.* III) ERASMI. STELLÆ, *libri* II *de Boruſſiæ antiquitatibus.* IV) MATTHIÆ STRYKOWSKI *Sarmatia Europæa, e recenſione Mizleriana.*

Nouam perſequor viam, qui quatuor hic ſcriptores de Polonia recenſeam topographicos, nouiſſime quidem Varſaviæ typis Mizlerianis exſcriptos, ſed nondum editos, quia viginti tres alii eos ſequentur, vt vnum volumen efficiant, adiectis copioſiſſimis indicibus. De hac collectione magna omnium ſcriptorum hiſtoriarum Polonorum in trimeſtri tertio a. 1755 p. 219, edita ad mæcenates litteratoſque Polonos epiſtola, ſatis clare, vt mihi videor, dixi. Nunc autem me haud male facere credo, ſi in tempore de his ſcriptoribus, re vera iam impreſſis, paulo exactius diſſeram, tum ad refutandam iſtam, neſcio quam ob cauſam diuulgatam, nouitatem

tem, hoc opus non prodicurum, tum ad firmandos hiſtoriarum amatorum animos, qui forte adhuc nomina, ſubſcribendo huic operi, dare velint, quam ob rem Lipſiam, Gedanum, Erfordiam, aliaque in loca, hi ſcriptores particulatim mittuntur, vt litterarum periti, oculis cernere poſſint, quid hoc in opere præſtitum ſit, id quod hic ſincere, vt res habet, enumerabimus.

I) POMPONII MELÆ *deſcriptio Sarmatiæ.* MELA lib. III vnicum, quartum nempe, caput ſcripſit de moribus & finibus veteris Sarmatiæ, in quod IOACHIMVS VADIANVS, ex nobili familia de WATT in Helvetia oriundus, vtcunque commentatus eſt. Notitia autem vera ad explicandam veterem Sarmatiam inſtructus non fuit, & melius de ſalifodinis in Polonia, quam de Sarmatia dixit. Pauca ſunt, quæ MELA de veteri Sarmatia ſcripſit, pauciora quæ Vadianus adiecit, ſed hic varia ſuo tempore de Polonia, memoria digna, nobis reliquit, quæ legere & ſcire iuuat. Ad hæc varias adieci annotationes, quæ ad rem facere poſſunt. Curaui vt accuratior etiam impreſſio fieret, quam in corpore Piſtoriano hiſtoriæ Polonæ, in quo ſcriptores Poloni plurimi ex officina Henricpetrina Baſileæ a 1582 magna incuria typis ſunt exſcripti, & eiuſmodi foeda errata occurrunt, quæ ſenſum plane inuertunt. Quæ in quinque tantum paginis obueniunt hic annotabo, vt lector intelligere poſſit, quam multa millia erratorum in ſequentibus ſcriptoribus inſint, de quibus autem nil amplius dicam, qui nullam ex eiusmodi labore laudem quæram, quamuis pro litteris perutili. Ecce catalogum ſphalmatum typographicorum, & leuiorum & extantiorum, in corpore Piſtoriano quinque in paginis occurrentium:

	Pro	*lege*	
p. 158	ſynceritate	*ſinceritate*	
	Ludbrantius	*Lubrancius*	
	Conarky	*Konarſki*	
	Tomitius	*Tomicius*	
	quot compti	*quam comti*	
	uirtubus	*virtutibus*	*p. 159.*

p. 159.	Camyenyetz	*Camieniec*
	hyemes	*hiemes*
	Artemium	*ad Anthemium*
p. 160	foemellam	*femellam*
	Situs equus.	*Situs æquus*
p. 161.	deprehendunt	*deprehendunt*
	fossiticij.	*fossitü salis*
p. 162.	euegantur.	*videntur*
	flammarum in bulientibus	*flammarum vi bullientibus*
	ab opere vocatur.	*ab opere vacatur.*

de mala orthographia & barbara nil dicam, alioquin errores essent innumerabiles. Ex his æquus lector intelligere potest, quanta sit inter nostram scriptorum Polonorum editionem & corpus Pistorianum differentia, vt taceam varias, quas adieci, emendationes, varios ex autographo nunc demum typis exscriptos auctores, & copiosissimum indicem.

II) AENEAS SILVIUS, *summus Pontifex Romanus*, PIUS II *huius nominis, post adeptum pontificatum dictus, de Polonia, Lithuania & Prussia siue Borussia.*

Grauis est hic auctor & vir magnus, qui multa scripsit, quæ vero de Polonia & Lithuania memoriæ prodidit, & pauca sunt, & exigui momenti. Aperte falsis etiam historiam Polonam interpolauit, verbi gratia, GUILIELMUM *ducem Austriæ* HEDVIGEM *Reginam in matrimonium accepisse, & regno Poloniæ præfectum fuisse: ex secunda vxore* VLADISLAUM IAGELLONEM *duos suscepisse filios nonagenarium: Casimirum Iagellonidem Boleslao Suidrigelloni successisse*, reliqua, quæ omnia in annotationibus refutauimus.

III) ERASMI STELLÆ, *Libanothani libri* II, *de antiquitatibus Borussiæ.* Hic auctor, medicinæ doctor, varia non contemnenda de antiqua Borussia memoriæ prodidit, sed imperiosus nimium & audax mihi videtur, qui omnia, quæ ipse ignorauit, pro fabulis haberi velit. De succino non male disse-

disseruit, ex Borussiæ vero antiquitatibus, parum accurate scriptis, apparet, ERASMUM STELLAM, non tam veritatem profunde scrutari, quam se potius magistro ordinis Teutonici, aliisque, quorum interfuit, commendare voluisse. Plura sibi, quam scriptorem modestum decent, sumsit, & audacter mentitus est, ne dicam stilum, sæpius parum Latinum, plebis interdum sermonem sapere, quo pertinet barbara locutio, *nasum continere*, in præfatione adhibita. Præconceptam etiam animi opinionem prodidit, quando scripsit: *vt aduersus quoscunque aliter de Borussia sentientes, ceu pro aris & focis dimicaturus sit, vltima potius perpeti certus, quam ignauiter cessurus.*

IV) MATTHIÆ STRIYKOVII, canonici Miednicensis in Samogitia, *descriptio Sarmatiæ Europææ.*

Inter scriptores de Polonia topographicos omnes merito STRIYKOWSKI optimus censetur, qui non solum vir rectus doctissimusque, sed & simul diligentissimus fuit. Ante autem quam hoc de libro, præ ceteris accurato, dicamus, singulare illius fatum exactius paulo enarrare iuuat. GUAGNINUS nempe hanc Sarmatiam Europæam suo nomine edidit, & quam plurimi, si non omnes, litterati, in ea huc vsque fuere sententia, Guagninum Sarmatiæ Europææ verum esse auctorem, id quod tamen omnino falsum, & extra omne dubium positum est, STRIYKOVIUM dictum librum exarasse. Hæc vt omnia lector recte intelligat, duo illa capita, quæ de Guagnino & Striykovio, ad Sarmatiam Europæam adieci, omni ex parte hic inserere interim non dubitaui, cum tomus primus historiarum scriptorum Polonorum, non nisi mense Augusto anni futuri in publicum prodire possit. Sunt autem sequentis tenoris:

Alexander Guagninus, palatii Lateranensis eques auratus, Italus, strenuus miles in Polonia, Liuonia, Moldauia, & bello Moschouitico, varios per annos fuit, militum tribunus & propugnaculorum Witebsk & Polocz gubernator, iure

iure indigenatus tempore SIGISMVNDI AVGVSTI donatus. Cum laudem virtutis bellicæ haberet, voluit & in republica litteraria inclarescere, quamuis minime fuerit vir litteratus. Ad colligendam hanc laudem singulari audacia ductus, MATTHIÆ STRIYKOWSKI commilitonis sui litteratissimi, quique Witebscii simul sub eius imperio erat, librum de Sarmatia surripuit, suisque sumtibus & nomine Cracouiæ imprimi iussit, eo tempore, quo verus auctor STRIYKOWSKI absens & cum legato Polono, comite ANDREA TARNOWSKI ad Turcarum imperatorem, Constantinopolim profectus fuisset.

Credidit forte Guagninus firmiter, verum auctorem in Europam non rediturum, vel etiam de Striykowski morte fama fuit, qui vix mihi persuadere possum, vt sine tali re circumstante Guagninus tam audax plagium litterarium committere, atque adeo alienum laborem, tanquam suum, Regi suo dedicare potuerit.

Cum vero Striykowski redux opus suum, sub Guagnini nomine impressum, vidit, non potuit non ei stomachari, & publice testatus est, suum opus esse, in testimonium adhibens STANISLAVM PACIVM, Palatinum Witebscensem, totamque circum iacentem nobilitatem, quibuscum sæpius hoc de opere, cum id scriberet, loquutus fuit. Hoc etiam fuit in causa, vt priuilegium, historiæ eius Lithuanæ, Polono idiomate scriptæ, præfixum, a rege Stephano d. XIV. Iul. a. 1580. obtinuerit, in quo claris verbis, liber de *Sarmatia Europæa* vero auctori Striykowski addicitur. In eadem historia Lithuana, vitam suam Striykowski, versibus Polonis scriptam, narrat, dicens in nota marginali, Italum quendam, Guagninum nempe, Sarmatiam Europæam suam fecisse, suoque nomine edidisse, qui tamen neque legere sciret, eumque *perfrictæ frontis* hominem appellat. Ad hæc Guagninus nil respondit, neque tanquam illiteratus, facti conscientia damnatus, respondere potuit. *Hartknochius* primus Guagninum in suspicionem plagii vocauit, quia extraneus haud exacte linguam Polonam, omnino ad eiusmodi opus conficiendum necessariam, calleret, id quod, vt mihi videtur, non est argumento. Sunt enim quidam in Polonia & nunc extranei, qui non solum bene linguam Polonam didicerunt, sed etiam de rebus Polonis exactissimam habent notitiam, & si non alia essent de Guagnini plagio argumenta, certe Hartknochii minus probabile, fidem non faceret. *Dauid Braunius* vero, in libro de *scriptorum Poloniæ virtutibus & vitiis* p. 37, id melius explanauit, dicens: *exteri omnes Guagninum pro vero auctore agnoscunt & sequuntur, quia Striykovium, Polonice tantum editum, non habent, nec legunt.* In hunc autem errorem, vt Guagninus auctor Sarmatiae habeatur Europææ, extraneos ad vnum omnes fortasse *Starovolscius*, in elogiis suis induxit, scriptor cui non adeo facile fides habenda, quia nimium incuriosus elogia sua corrogauit, ideoque sæpiſſime allucinatus est. Sed extranei hoc errore facile carere potuissent, si bene animaduertissent, male Starovolscium hoc opus p. 88. edit. Venet. Striykovio primum, & p. 187, idem opus iterum Guagnino adscribere, id quod Braunius citato loco primus annotauit, his verbis: *Polonicos historicos miror, præsertim Starovolscium, qui, cum Striykovio hanc Sarmatiæ Europææ descriptionem diserte adscripsit, nihilominus Guagnino tribuit Chronicon Poloniæ cum additione (in Polonica eiusdem versione Baszkowski) geographicæ descriptionis populorum septentrionalium. Atqui vero hac Starouolscii circumlocutione, nihil aliud, quam hæc descriptio Sarmatiæ Europææ intelligi potest, cuius pars erat*

Chro-

Chronicon, a Guagnino ſeorſim Cracouiæ 1578 Latine, poſtea vero a. 1611 Polonice a Paſcouio vtraque, nempe chronicon & deſcriptio geographica populorum ſeptentrionalium, ſecundum anteriorem editionem Spirenſem Latinam, verſa & edita.

Porro Braunius ibidem bene dixit: *qui deſcriptionem hanc Europæam cum chronico Striykowſki confert, vnius auctoris collectanea eſſe animaduertit.* Veritate igitur ducti debuimus Sarmatiam Europæam manibus Striykowski, ſummi hiſtoriarum ſcriptoris, vindicare, Guagnino autem dedicationem tantum relinquere, quam forte & Striykowski ſcripſit, Guagninus vero mutatis rebus quibusdam circumſtantibus, ad celandum plagium, aptari iuſſit. Articuli igitur illi, de Guagnino, variis in Lexicis, verbi gratia, Moreriano, Bayliano, nec non Ioecheriano, aliisque, a veritatte deſciſcentes, obliterandi ſunt in poſterum omnes. Quod ſupereſt, Guagninus, laude ſua militari non defraudandus, litteras tamen quod attinet, elogium Auguſtini Columnæ verſiculis expreſſum, a Starovolſcio exhibitum, non meruit, potius ſummum plagii, quod vnquam in republica litteraria commiſſum fuerit, reliquit exemplum. Mortuus Cracoviæ a. 1614, ætatis anno ſeptuageſimo ſexto.

MATTHIAS STRIYKOWSKI, *Oſoſtevicius*, nobilis Polonus, ab oppidulo *Oſoſtow*, in Palatinatu Lancicienſi, familiæ Striykovianæ illo tempore ſede, ita dictus, natus anno inſtauratæ ſalutis 1547. Puer quinque annorum, in lacum delapſus & ſerius extractus, habitus pro mortuo fuit, & iam ſuper feretrum ad templum, ad humandum corpus, allatus, forti campanarum ſonitu quaſi excitatus reuiuiſcere cum ſumma adſtantium admiratione cœpit, ſed ne verbum quidem intra integram hebdomadam locutus. Litterarum deinde fundamenta iecit Brzeziniæ, vbi parum abfuit, quin a campanæ ſoantis ictu, decimnum quartum annum agens perierit, qui fuit in cauſa, vt per totam vitam difficillime loqueretur, faciliusque, vt ipſe in vita ſua ait, aliquot verſiculos ſcripſit, quam duo verba dixit. Poſtea in academia Cracovienſi litteris Latinis Græcisque & philoſophiæ operam dedit, magna cum diligentia, Lipſiæ etiam ſtudiorum cauſa morabatur, & Germaniam peragratus, omni doctrina atque optimarum artium ſtudiis eruditus, gloriam in litteris haud vulgarem conſequutus, exteris etiam claris viris, GVILIELMO BUDAEO, PAULO MANUTIO, FRANCISCO ROBORTELLO, IACOBO CARPENTARIO, innotuit. In patriam redux, ſtipendia Witebſcii, tempore Henrici regis, ſub Italo quodam, vt Striykovius in præfatione ad hiſtoriam Lithuanam ait, hoc eſt Guagnino, per tres annos meruit, vbi horis ſuccisiuis Sarmatiæ Europææ deſcriptionem exarauit, quam, vt ſupra probauimus, Guagninus ſurripuit, ſuoque nomine edidit, *quamvis*, (ſunt verba Striykovii Latina, in præfat. hiſtor. Lithuanæ p. 6.) *Deum opt. max. appello, ne primis quidem Heliconis fontibus labra admouerit.* Iubet porro Striykovius id experimento comperire, & quærere ex eo, vnde origo gentis alicuius deriuetur, ac quomodo geſta principum, ſitus prouinciarum & locorum ibidem contentorum intelligantur. In hac eadem hiſtoria Lituana, Lib. VI. cap. XIII, p. 277, iterum Striykovius de Sarmatia Europæa ſequentia verba Latina, Polono idiomati intermiſcuit: *labor meus abortiuum in immatura edenda prole paſſus eſt. Illius etenim noſtri laboris, cui teſtem Deum opt. max. contra conſcientiam meam apello, fructu, per quendam Italum, & eundem*

peditum in Witebſka præfectum, *fruſtratus ſum, qui, quamuis ipſe ne primis quidem muſarum fontibus labra admouerit, & prorſus litterarum expers fuerit, præfati libri exemplar, vt populari ſatiaretur aura, ſub nomine ſuo, quibusdam verbis & ſententiis (vt ipſius inuentio inde appareret,) facile immutatis, imprimendum dedit. Et ſic nos non nobis.*

Pagina ſequente hac ſe Striykovius lenit conſolatione: non dubito fore, *vt auctor fruatur debito & plus quam iuſte promerito honore*, quando *tempus veritatis parens eam ipſam veritatem e tenebris in lucem educet*. Ille vero, qui id ſuum eſſe dicit, in quo non laborauit, neque ingenium eius ad id aptum, vt reſpondeat, ſi ex eo quærant, quomodo hoc vel illud intelligendum, *confundetur, & ſic ſuo iudicio ſorex peribit.* Hæc omnia, & quæ ſupra attulimus, ſatis probant, STRIYKOVIUM, non Guagninum, Sarmatiæ Europææ eſſe auctorem.

Tempore interregni poſt diſceſſum HENRICI VALESII a. 1574, cum præclaro nobili Polono ANDREA TARANOWSKI (alii dicunt ANDREA TARNOWSKI, legato ad portam Ottomanicam, qua de re non certus ſum) magnam Aſiæ partem peragrauit, & ſæpius etiam in vitæ venit diſcrimen. Multa in hoc itinere antiquitatis monimenta perluſtrauit, varia etiam ſecundum geometriæ & coſmographiæ regulas delineauit. Omnia, quæ vidit, audiuit atque intellexit, in commentaria, vt ipſe profitetur, retulit, quæ Cracouiæ, ſub inſcriptione: *de libertate Poloniæ & magni ducatus Lithuaniæ* &c impreſſa fuere. Sed hæc commentaria, quod dolendum, iam nusquam, vt multa alia Striykouii ſcripta, inueniuntur. Ex Turcia in Poloniam reuerſus, ab epiſcopo Samogitiæ *Melchiore* canonicus Miednicenſis creatus fuit. Hiſtoriam deinde Lithuaniæ, Regiomonti anno 1582 typis exſcriptam, edidit, opus præſtantiſſimum & in hiſtoria Lithuana vnicum. *David Braunius*, accuratus, ſed ſeuerus ſcriptorum Polonorum cenſor, hæc in laudem Striykovii, (de ſcriptor. Polon. virtut. & vitiis p. 36) ſcripſit: *multis antiquitatum monumentis perluſtratis, præter extraneos hiſtoricos Græcos, Latinos, & Germanos, Turcorumque annales euolutos, ex manuſcriptis chronicis Lituanicis numero XII, Prutenicis No. V, Liuonicis No. IV, Polonicis No. V. Kiovienſibus No. IV. Ruſſicis complurihus, denique Moſcoviticis Bulgaricis & Sclavonicis aliquot, integro ſeptennio* (hoc eſt ab a. 1575 ad a. 1582) *labore maximo* CHRONICON *Lituanicum Polonicum Ruſſicum Pruſſicum Livonicum Samogiticum et Moſcoviticum lingua Polonica compoſuit, typisque Regiomontanis a. 1582 quousque hiſtorias deduxit, cum priuilegio Regis Stephani publicauit. Quo labore magnam laudem meruit, quia ante eum nemo, tot documentis antiquitatis (præſertim a ſæculo X, quo fides Chriſti ſimul cum notitia ſcribendi Ruſſos illuſtrauit) tam amplam de gentibus illis aggredi auſus fuit hiſtoriam, pauci vero, et ex iis Baro ab Herberſtein attigerunt. Ideo digniſſimus hic auctor, quem Albertus Wiiuk Kojalowicz perpetuo compendio, quantum ad hiſtoriam Lituanicam pertinet, nitida Latinitate vertit. Et quia Striykovii chronicon nunquam poſt hanc primam editionem recuſum eſt, incuria Polonis ſueta, idcirco poſſeſſoribus eius rariſſimum eſt et cariſſimum.*

Striykowſki etiam archidiaconus (ſrotaſſe Samogitiæ) fuit, ſi Starovolſcio credere fas eſt, qui in elogiis p. 88. edit. Venet. id affirmat, his verbis: *a Samogitiæ epiſcopo canonica dignitate et archidiaconi munere ornatus fuit, vtque regi AVGV*

STO

STO *in Lithuania tum commoranti, ob conscriptas stilo eleganti res Polonicas Litu-*
anicasque (hoc non est de historia Lituana intelligendum, quæ illo tempore non-
dum fuit edita) *in quo præcipue laborauit, inprimis gratus, ab eoque sanctioribus*
illis reconditarum rerum notis, quibus fere regnorum arcana committi solent, præ-
fectus, in eodem studio ætatem consumsit. Mirandum autem Striykovium de archi-
diaconi munere et de præfectura illa, ne verbum quidem in historia sua Lituana,
in qua sæpius de se loquitur, dixisse.

Faceto deinde etiam atque eleganti floruit ingenio Striykowski, ob idque IOAN-
NI CHODKIEVICIO exercitus Lithuani duci secundo, charus, teste Staro-
volscio in Sarmatiæ bellatoribus N. CV. p. 133 edit. Vratislaviens. cuius de hoc
sequentia verba: *Qui* (Chodkievicius) *tametsi ad seuitiam natus videretur, appri-*
me tamen consortio eruditorum virorum afficiebatur, præcipue Strikovii, archidi-
aconi Samogitiæ, quod vir ille et facetus esset et loco ac tempori optime inseruire
sciret; iocisque atque salibus animum eius oblectaret. Hoc adhuc de Striykovio,
quo quidem supersedere vellem, annotare debeo, quod non adeo bona stetit
fortuna. Audiamus ipsum in dedicatione historiæ Lituanæ Latina ad Regem
STEPHANVM BATHOREVM quiritantem: *voluntati*, inquit, *addictissimæ, quo-*
minus illa in lucem prodirent illud obstitit quam maxime, quod Aulo Gellio no-
ctes Atticas scribenti, et quod diuino Nasoni de ingratitudine suæ ætatis conqui-
renti, cum etiam illud de me ingenue (rumpantur licet ilia Codro) dicere audeam;

Ingenio poteram summas volitare per arces
Me nisi etc.
Sed
Inuia virtuti nulla est via.
Ipsa quidem virtus precium sibi
Fortuna secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur.

Qua ego etiam duce, nulla vnquam comitatus fortuna, quæ perpetuum virtuti bel-
lum indixit, Serenissime Rex, *duobus fere lustris dies noctesque Gelliano labore*
excubando, probabilibus auctoribus vndique conquisitis, hanc totius Sarmatiæ, Sla-
uorum, Polonorum, Lituanorum, Samogitarum, Russorum, Volhyniorum, et ce-
terarum totius imperii tui nationum historiam, propria industria et inuentione ad
hæc vsque tempora descripsi, nouaque luce, quam nunquam antea, densissimis et
plus quam Cimmeriis tenebris inuoluta, vidit, nullis sumtibus parcendo donaui.
Mira res est, vt cæca fortuna semper tyrannidem in homines virtuti deditos ex-
erceat, tam verum est, vt virtus omni tempore laudetur et algeat. Non fugit
cordatos politicos, vnicum exemplum eximiæ virtutis atque eruditionis haud re-
muneratæ, plus ad opprimenda optima ingenia, quam decem exempla virtutis
mediocris remuneratæ ad ea excitanda, facere, neque minus tamen sæpius in hi-
storia eiusmodi exempla pessima obueniunt.

Cetera, quæ Striykovium attinent, et qua ætate, quo anno, et vbi mortuus,
ignoro, hoc me legisse memini, immaturam eum mortem obiisse.

Ex his satis clare, vt mihi videtur, apparet, Striykovium verum Sarmatiæ Europææ esse auctorem. Hunc vero librum quod

attinet, non mirandum, Striykovium de multis locis plane nil dixisse, cum tractu temporis multa sint mutata, et hæc vrbium Poloniæ descriptio secundum tempora illa diiudicanda sit. Et quamuis nunc multa ad eum adiici possint, Striykovius tamen inter geographos Polonos vtilissimus erit, quia non solum recentissimam, sed et antiquam geographiam Polonam scire opus est. Quod superest, negare non possumus, nimium fuisse Striykovium breuem, qui fere non alia, præter ciuitates maiores, annotauit loca, quam vbi iudicia causæque nobilium aguntur, vel singularia quædam, tum ex historia ciuili, tum naturali annotanda obueniunt.

VII

CATALOGVS PROFESSORVM ACADEMIARVM VILNENSIS ET ZAMOISCENSIS.

ACADEMIÆ VILNENSIS

CANCELLARIVS PERPETVVS

Illustrissimus *Michael Ioannes* ZIENKOWICZ, episcopus Vilnensis, aquilæ albæ eques.

Rector

Ioannes IURAHA. S. I. Rectoris munus per triennium durat, vt alia in societate Iesu honoris officia, et ex superiorum consilio etiam prolongatur.

PROCVRATORES

Stanislaus KMITA S.I. Procuratoris officium est, vt Academiæ priuilegia et libertatem, omni tempore defendat.

Franciscus KRVSZEWSKI S.I. simul bona academiæ administrat.

Professores

I. *Adalbertus* HARASCH. S.I. Professor theologiæ dogmaticæ Polo-

Polemicæ & casuisticæ, nec non professor publicus iuris canonici, simul theologicæ facultatis Decanus & tertius Academiæ a confessionibus.

2. *Stanislaus* ROSTOWSKI, S. I. professor secundus Theologiæ dogmaticæ & casuisticæ.

3. *Ignatius* ZABA, S. I. secundus professor Theologiæ Polemicæ, simul philosophicæ faculitatis Decanus, & quartus Academiæ a confessionibus.

4. *Ignatius* CHLVDZINKI S.I. professor Theologiæ moralis, & professor ordinarius linguarum orientalium.

5. *Michael* WICHERT, S.I. secundus professor Theologiæ moralis, & ordinarius linguæ Græcæ professor.

6. *Felix* WIERZBICKI S.I. extra ordinarius Theologiæ professor, & Regens alumnorum pontificiorum.

7. *Stephanus* WIERZBZICKI, S.I. frater germanus præcedentis Felicis, professor exdraordinarius Theologiæ & iuris canonici, simul episcopi Vilnensis a confessionibus, & iudex synodalis dioecesеos Vilnensis.

8. *Michael* BARTOSZEWSKI, S.I. professor extraordinarius Theologiæ & iuris canonici, nec non monitor spiritualis, & primus Academiæ a confessionibus.

9. *Martinus* BYSTRZYCKI, S.I. ordinarius primus professor iuris canonici, procancellarius academiæ, etiam decanus Facultatis canonicæ, secundus academiæ a confessionibus.

10. *Stanislaus* HASSOWSKI, S. I. secundus ordinarius professor iuris canonici, & typographiæ academicæ præfectus.

11. *Ludovicus* DĄMBROWSKI, S. I. professor Ethices & Polities

12. *Antonius* SKORVLSKI, S. I. professor physices, & sanitatis consiliarius & academiæ Syndicus.

13. *Laurentius* RYDZEWSKI, S. I. professor Metaphysices & facultatis philosophicæ Senior.

14

14. *Ignatius* PETRYCY, S. I. professor Logices, & quintus academiæ a confessionibus.

51. *Michael* KORYCKI, S. I. extraordinarius philosophiæ professor, ordinarius prædicator diebus Dominicis, inspector bibliothecæ & Secretarius academiæ.

61. *Iosephus* SKORVLSKI, S. I. Antonii frater germanus, philosophiæ professor extraordinarius, & ordinarius diebus festis prædicator.

17. *Thomas* ZEBROWSKI, S. I. professor matheseos.

31. *Felix* KORYTYNSKI, S. I. eloquentiæ, historiæ & geographiæ professor.

19. *Thomas* BOGVSZ, S. I. professor poeseos.

Professores linguarum Latinæ, Gallicæ, Germanicæ, sunt Magistri iuniores, qui adhuc ipsi recitationes seniorum professorum ad discendas altiores scientias frequentant, nempe:

20. *Franciscus* KSIĘSZKIEWICZ 21. *Martinus* POCZOBVT 22. *Adamus* NARVSZEWICZ 23. *Andreas* BERENT	professores linguæ Latinæ
24. *Adamus* KLOKOCKI 25. *Iohannes* KOELER	Professores linguæ Gallicæ
26. *Ioannes* WINCZA 27. *Ludovicus* WILLICH	Professores linguæ Germanicæ.

Professores collegii nobilium, cum academia vnum in corpus redactum, sunt sequentes:

28. *Adamus* ABRAMOWICZ, S. I. Regens collegii nobilium.

29. *Franciscus* LILIENTHAL, S. I. Viceregens & professor classis seu ordinis superioris.

30. *Antonius* SOBKOWSKI,	professor mediæ classis.
31. *Iacobus* IACEWICZ 32. *Stephanus* WVLFERS	Professores classium inferiorum.

ACADEMIAE ZAMOISCENNSIS

Cancellarius perpetuus
illustrissimus *Vallentinus* WĘZYK, episcopus Chelmensis.

Professores Theologiae.

1. D. *Balthasar* DVLEWSKI, professor Theologiae moralis & Decanus facultatis theologicae, canonicus eccles. cathedral. Chelmensis, & eccles. collegiat. Zamoiscensis, nec non praepositus in Garay.
2. D. *Paulus* LOSIECKI, professor Theologiae dogmaticae & protonotarius apstolicus, eccles. colleg. Zamoiscensis Scholasticus, praepositus Wieluniencis.
3. D. *Clemens* PODZIONKIEWICZ, professor theologiae Polemicae, & notarius apostolicus, canonicus Zamoiscensis, & parochus Belzensis
4. D. *Iosephus* SIKORSKI, professor theologiae casuisticae & canonicus Zamoiscensis.
5. M. *Thomas* MAYKRZYCKI, professor historiae ecclesiasticae, & canonicus eccles. colleg. Olycensis.

Professores iuris prudentiae.

6. D. *Michael* PRVSKI, professor iuris ciuilis, & praeses ordinarius facultatis iuridicae, tribunalis ordinationis Zamoiscensis assessor, & regni geometra iuratus.
7. D. *Dominicus* RYDVLSKI, secundus professor iuris ciuilis & academiae procurator generalis.
8. D. *Thomas* KARWOSIECKI, professor iuris publici, & nobilis conuictorii inspector, canonicus Zamoiscensis & praepositus Laszczoviensis.
9. D. *Antonius* GERSKI, professor iuris canonici, & protonotarius apostolicus, canonicus Zamoiscensis & Olycensis, praepositus Hrubieszoviensis, parochus Woyslawiczensis.
10. D. *Iosephus* MVSZINSKI, secundus professor iuris canonici & director seminarii clericorum episcopalis, canonicus

Za-

Zamoiscensis, præpositus Pokaliensis & Ostrowiensis.

11. *M. Melchior* KOCHNOWSKI, extraordinarius iurium professor, & ordinarius linguæ Gallicæ.

PROFESSORES PHILOSOPHIAE.

12. *D. Stanislaus* DVNCZEWSKI, Academiæ & facultatis philosophicæ Senior, ordinarius professor matheseos, & philosophiæ experimentalis, tribunalis ordinationis Zamoiscensis assessor & regni geometra iuratus.

13. *M. Vincentius* IANCZARSKI, professor logices & metaphysices.

14. *M. Ludovicus* PAWLOWSKI, professor Philosophiæ practicæ.

15. *M. Ioannes* GORAYSKI, professor rhetorices & poeseos.

16. *M. Franciscus* CRESCONI, professor grammatices.

Facultas medica iam a quinquaginta annis extincta est, neque iterum instaurata.

VIII.

NOVA LITTERARIA POLONICA.

I. *Gloria sacrosancti Hierosolymitani SEPVLCHRI, Christi Domini, illo Isaiæ prophetæ fatidico oraculo: ET ERIT SEPVLCRVM EIVS GLORIOSVM, prænuntiata, & per figuras veteris & noui testamenti desumtas ampliata, testimoniis S. S. patrum, Doctorum & Historicorum tribus libris illustrata per R. P. VENCESLAVM MVRATOWICZ, Polonum, S. Th. D. ordinis canonicorum regularium custodum Sancti sepulchri, conuentus Miechouiensis custodem, Prevorscensis præpositum, multoties per Russiam provincialem. Opus viuo adhuc auctore imprimi cæptum, eoque mortuo absolutum. Varsauiæ & Lipsiæ apud B. Heinsii hæredes. A. S. 1755. in 4to. Alphab. V. plag. 8.* Nullus huc vsque liber de sepulcro Christi, quantum quidem nos scimus, tam magno volumine comprehensus, in lucem prodiit. Auctor omnia fere, quæ tantum de sepulcro Christi sciri possunt,

magno

dum s. ſepulcri bene meruit, cuius ſingulorum intereſt hoc opus legere, & quæ varia vtilia contineat, ſcire. Oratoribus ſacris etiam, iisque, qui hiſtoriam ſ. ſepulcri non ignorare cupiunt, non inutile erit. Nimis longum esſet, vel elenchum tantum apponere eorum omnium, de quibus in hoc libro dicitur, ſed eos, qui ſ. ſepulcrum ex Polonia viſitarunt, adiiciemus, qui ſequentes ſunt, præ ceteris celebres:

Iaxa Gryphius, dux Serbiæ, fundator primus in Polonia ord. can. reg. ſ. ſepulcri. anno. 1159.

Kilianus LATOSZYNSKI, ex eadem domo Gryphia, a. 1534.

Henricus Dux Sandomirienſis & Lublinenſis, filius quartus Boleslai Krywousti, a. 1154.

Nicolaus Radziwil, Dux in Olika & Nieswiec. S. R. I. princeps, ſupremus Marſchalcus Lithuaniæ a. 1575. Cum eodem principe fuerunt Hieroſolymis ex Polonia & Lituania nobiles Poloni *Georgius Kos*, *Michael Konarski*, eques S. ſepulcri, *Andreas Skorulski*, *Petrus Belina*, eques ſ. ſepulcri. Illo tempore ab aliquot annis Hieroſolymis morabatur nobilis quædam femina Polona, *Dorothea Siekierzecka*.

Pacoslaus comes, dictus ſenior, vulgo *Pękoſlawski* de ſtirpe Abdankorum.

Ioannes Pudlowski de ſtemmate Kosciesza, tribunus Sochaczovienſis, anno 1589.

Ioannes Kobilnicki,

Iacobus Bobola de ſtemmate Leliwa.

Ioannes Laski, archiepiscopus Gnesnenſis.

Viſſus de *Radolina* ex familia Acervorum, epiſcopus Cracouienſis, qui ſecum comites habuit abbatem Tynecenſem & duos canonicos ex conuentu Miechovienſi.

Ioannes Dlugosſus, notus Poloniæ hiſtoricus, variis legationibus in Hungariam, Bohemiam, Italiam, Germaniam, celebris.

Ioannes Olgeta, canonicus & officialis cathedralis Cracovienſis,

I per

Per multos annos Acad. Rector.
P. *Thomas Młodzianowski* S. I.
Ex religioſorum ordinibus regni Poloniæ innumeri.

2. *Gratulatio reſtitutæ poſt attentatum parricidium incolumitatis LVDOVICI XV, regis Galliarum, nomine collegii nobilium Varſauienſis, Societatis Ieſu, dicta, a THADÆO de Burzyn Burzyński, caſtellani Smolenſcenſis filio. Varſauiæ, typis regiis & reipublicæ Societatis Ieſu. in 4to. plag. 4.*

Hæc gratulatio nitido ſtilo a *Franciſco Bohomolec*, S. I. oratore & poeta in Polonia inſigni, exarata, haud obſcure amorem & nexum inter Gallicam & Polonicam gentem ſignificat, in primis vero virtutes *Ludouici XV*, non Gallorum tantum, ſed & aliorum multorum populorum, amor, ſcite pinguntur. Vt hæc oratio bene ſcripta, ſic etiam cum actionis dignitate optime recitata fuit, a generoſo *Burzynski*, magnæ ſpei adoleſcente.

3. *Zbior krotki Rytmow Polskich IAKOBA MATYASEWICZA Patrycyusza Lwowskiego z Pism iego ręcznych, po częsci rozproszonych zgromadzoni, ſtaraniem y nakladem Synowskim MICHALA MATYASEWICZA, J. K. M. Sekr. do Druku podany, opus poſthumum. w Warszawie w Drukarni I. K. Mci y R.P. XX. Scholarum piarum R. P. 1756.*

hoc eſt:

Collectio parua carminum Polonorum IACOBI MATYASEWICZ, patricii Leopolienſis, ex manu eius ſcriptis partim diſperſis in vnum redacta, ſtudio & ſumtu filii Michaelis MATYASEWICZ S. R. M. Secr. in lucem edita. Varſauiæ ex typographia S. R. M. & R. P ſacerd. ſcholarum piarum. A. D. 1756. in 8. plag. 4.

Et hic libellus affirmat varios & fuiſſe, & nunc eſſe, in Polonia poeſeos amatores & poetas, maxime vernaculos.

4. ALEXANDRI POLITI *de cl. reg. ſcholarum piarum, orationes*

VXIII.

XVIII. ad Academiam Pisanam, in duos tomos diuisæ. Harum XII luce publica ab ipso autore donatæ & BENEDICTO XIV. Pontifici maximo, nuncupatæ, TOMO PRIMO: alteræ vero VI. ab eodem sparsim editæ, in vnum collectæ, vna cum duabus epistolis, altera ad Vbaldum Mignonium, altera ad Cajetanum Moniliam, TOMO SECVNDO, continentur. Editio noua. Varsaviæ typis S. R. M. & reipublicæ in collegio scholarum piarum. in 8. Alph. I. plag. 5.

Quanta eloquentiæ floreat laude ALEXANDER POLITVS neminem fugit, qui vel mediocriter elegantiores litteras scire curauit. Bene igitur factum, vt editio noua, satis nitide typis iterum in Polonia exscripta, in lucem prodierit, quæ Polonæ iuuentuti, iisque in primis, qui eloquentiæ Latinæ dant operam, commendanda est. Ecce elenchum omnium orationum

I. de litterarum Græcarum necessitate.
II. de liberalium omnium artium ac doctrinarum ad eloquentiam necessitate.
II. de litteris humanioribus.
IV. de vniuerso disciplinarum orbe.
V de laudibus Lotharingicis & Mediceis.
VI. de optimorum studiorum assiduitate.
VII. de lectionis assiduitate.
VII. de recto ordine studiorum.
IX. de humanarum disciplinarum ad religionis Christianæ vsum opportunitate.
X. *de laudibus Academiæ Pisanæ.*
XI. *de laudibus vrbis Pisanæ senatui populoque Pisano consecrata.*
XII. *de nobilitate litterarum.*

In tomo secundo continentur
I Panegyricus Imperatori cæsari Francisco I consecratus
II. *de laudibus Volaterranis*
III. *de laudibus Liburnensibus*

IV. *de laudibus Samminiatensibus.*
V. *de laudibus Arretinis.*
VI. *de laudibus Cortonensibus.*

His accedunt

Oratio ISIDORI OLIVERII *de vtili studiorum breuitate.*
Oratio ANTONII BAITAY, *habita Budæ ad amplissimos Hungariæ ordines anno* MDCCXLIX.
Oratio STANISLAI KONARSKI, *de viro honesto & bono ciue ab ineunte ætate formando.*
Oratio IOAN. ALOYSII BONGIOCHII, *in funere Antonini Bremondis, generalis prædicatorum ordinis magistri.*

5. *Polityk chrzesciański, albo Przestrogi y Uwagi chrzesciansko polityczne wszelkiemu stanowi służące przez X.* M. *Jaskiewicza*, M.K. *W.* S. I. K. *wydane, y do druku podane. Roku Pańskiego 1757. w Warszawie w Drukarni* I. K. M. *y Rzeczy pospolitey collegium XX. scholarum piarum.*

hoc est:

Politicus CHRISTIANVS, *siue monita & considerationes Christiano ciuiles, cuiuscunque conditionis hominibus accommodatæ, auctore Nicolao Iaskiewicz, Masionari insignis ecclesiæ acollegiatæ Varsauiensis A. D. 1757. Varsauiæ typis* S. *R. M. & R. P. Collegii sacerd. scholarum piarum in 8. Alphab. 1.*

Reuerendus auctor omnia, quæ ad felicem instituendam & beatam perducendam vitam, pro vniuscuiusque hominis conditione pertineant, docuit, atque eleganti stilo Polono, puroque, explicuit. Quamuis hæ veritates a multis iam, & a philosophis maxime, sint expositæ, laudabile tamen est, sæpius eas, cum homines sæpissime a veritatis via aberrent, repetere. Sed hoc maxime auctori est laudi, vt ipse talis sit politicus Christianus, quales velit, vt omnes sint Christiani. Consecratus hic liber est, illustrissimo atque excellentissimo IOSEPHO comiti in Tęczyn OSSOLINIO, palatino Volhyniæ, gubernatori Sandomiriensi, aquilæ

albæ

albæ equiti, ſenatori in Polonia magnæ virtutis,litterarumque amatori atque amplificatori.

6. *Rozmowa Filozofa z Politykiem o troiakim w Polszcze Mlodzi Wychowaniu, napiſana przez Jana Hrabię Amor Tarnowskiego za pozwoleniem ſtarſzych. w Warszawie w Drukarni .I K. Mci. y Rzeczy poſpolitey w Kollegium ſocietatis Ieſu. Roku MDCCLVI.*

hoc eſt:

Colloquium philoſophi cum politico de triplici in Polonia iuuenum educatione, auctore Ioanne Comite Amore Tarnowski. Cum venia superiorum. Varſauiæ, ex typographia S. R. M.& R. P. collegii ſocietatis Ieſu. a. 1756. in 12. plag. 12. Iuuenum educatio & inſtitutio ad diſcendas litteras tribus modis maxime abſoluitur, vel priuatim, duce ſtudiorum moderatore, vel in ſcholis publicis, vel in collegiis nobilium, quorum omnium commoda & incommoda enarrantur. Finis vero huius libelli eſt, monſtrare, educationem in collegiis nobilium ceteris anteponendam.

7. *Lettre ſur l'education d'un Seigneur Polonois. Non tua te moueant, ſed publica vota. ex Claudiano. à Varſovie dans l'imprimerie Royale & de la republique. Chez les RR.PP. des pieuſes Ecoles. MDCCLVII.*

hoc eſt:

Epiſtola de educatione proceris Poloni. Varſauiæ in Typographia S.R. M. & R. P. RR. PP. ſcholarum piarum. 1757. in 8. plag. 7 Dominus *Pyrrhus* de *Varille*, morum ſtudiorumque moderator celſisſimi principis *Ioſephi Sanguszko*, præfecti Krzemieniecenſis & Czerkascenſis, ſcripſit has elegantes doctrinæque plenas litteras ad diſcipulum ſuum, cum diem natalitium celebraret. Apparet ex hac episſtola auctoris politisſimi ſinceritas animi & rectitudo, morum puritas atque elegantia, & exacta eorum omnium ſcientia, quæ ad prudentem ſtudiorum morumque moderatorem proceris Poloni requirantur. Optandum, vt quam plurimi in Polo-

nia ſint *Varilli*, qui ceteris hoc officio fungentibus exemplo eſſe poſſint, & ſi celſiſſimo principi Sanguszko gratulandum, vt tali gaudeat magiſtro, non minus felix Dominus *Varillus* putandus, qui tam optimo vtatur diſcipulo.

8. *Rozmowa na czym Dobro y Szczęscie Rzeczypoſpolitey zależy. w Warszawſkim Kollegium nobilium Schol. piarum miana. Roku Pańskiego MDCCLVII. w Warszawie w Drukarni I. K. Mci y Rzpltey XX. Schol. piarum,*

hoc eſt

Colloquium, in quo bonum & felicitas rei publicæ conſiſtat. Varſauiæ in collegio nobilium ſcholarum piarum, habitum A. D. MDCCLVII. Varſ. in typographia S. R. M. &. reip. ſacerd. ſchol. piarum. in 8. plag. 6.

Sunt oratiunculæ ad exercendos in eloquentia iuuenes conuictores ſcholarum piarum habitæ, grauis argumenti atque eleganter ſcriptæ.

ſententia I. vt in bonis legibus earumque obſeruatione bonum & felicitas reipublicæ conſiſtat.

ſententia II. in bona iuuenum educatione.

ſententia III- in viribus proportionem ſeruantibus & neceſſariis ad defendendam rempublicam.

ſententia IV. in oeconomia publica.

ſententia V in oeconomia vniuſcuiusque priuata.

ſententia VI. in diligenti adminiſtratione iuſtitiæ.

ſententia VII. in bonis & prudentibus ſtatus adminiſtratoribus, iuſtitiam & pacem colentibus.

ſententia VIII in bonis conſiliis & comitiis ad felicem exitum adductis.

ſententia IX. in conſeruatione religionis.

concluſio de eodem argumento

Adic-

Adiecta est oda Horatii, *delicta maiorum*, Polono carmine expressa: *quomodo negligentia religionis & mali mores* sint reipublicæ ruina.

9. *Rozmowa o Celu, y naypierwszym Edukacyi Koncu przez uczących się Retoryki Konwiktorow*, *in collegio nobilium scholarum piarum miana. Roku MDCCLVII w Czerwcu. w Warzawie. u Drukarni J. K M. y Rzeczy Pospolitey in Collegio Scholarum Piarum*,

hoc est

Colloquium de scopo & primo educationis fine, ab auditoribus rhetoribus, conuictoribus in collegio nobilium scholarum piarum habitum A. MDCCLVII. mense Iunio Varsauiæ, in typographia S. R. M & R. P. in collegio schol. piar. in 8. plag. 5.

Pariter & hæ oratiunculæ eleganti stilo exaratæ a Rever. Patre *Kaliszewski* S. P. ad exercitandos oratoria in arte iuuenes, ex quibus habuit *Præloquium de emolumentis educationis*

Leo Kochanowski, castellani Radom. filius

Sententiam I *de rhetorica*, *Andreas Tarlo* Castell. Lublin. filius.

Sententiam II. *de philosophia*, Ioan. *Narzymski*, palatini Pomer. filius

Sententiam III. *de Mathesi*, *Stephanus Wroblewski*, Dapiferi Inowroclauiensis filius

Sententiam IV. de linguis, *Simon Tarlo*, Capitanei Goszczynens. filius

Sententiam V. de historia, *Xauerus Borzysławski* vexilliferi Tremboulouiens. filius

Sententiam VI. de iure, *Isidorus Szembek* capitanei Brestenses Cuiauiensis filius.

Sententiam VII. de corporis exercitio, *Anastasius Walewski* vexilliferi Brestensis filius,

Sententiam VIII *de librorum lectione*, *Franciscus Szymanowski*, gu-

erna-

ernatoris Visſogrodenſis filius.

Concluſionem de religione, honeſtate & virtute Leo Kochanowski caſtellani Radomienſis filius.

Adiecta eſt Oda *Hieronymi* principis *Sangurzko*, M. D. L. Mareſchalci filii, in qua monſtratur, virtuti deditos plane nil timere, neſarios autem homines ſemper malum vitæ finem habere.

10. *Abſurda Janseniſtica, ſeu Sceleratus per gratiam PASCHASII QVESNELLI Janſeniſtarum anteſignani, ab omni culpa & poena immunis, vti euidentisſime demonſtrat ſequens dialogus, ſeu colloquium theologi catholici cum Janseniſta, nunc primum Latine expoſitum a R. P. Ioanne Poszakowski, ſocietatis Ieſu Theologo. In Typographia S. R. M. & Reipup. coll. Varſauienſis Soc. Ieſu, A.* 1755. *in 12. plag 10.*

Summa contentorum in hoc libello hæc eſt:

Cornelius Ianſenius Iprenſis diſtinguendus a Gandauenſi. Quinque propoſitiones Ianſenii Iprenſis damnatæ ponuntur ibidem.

Quisnam fuerit Queſnellus.

Dialogus ſiue dicusſio 101 propoſitionum Queſnelli damnatarum per bullam *vnigenitus.*

Tabula methodica praxium ſceleratorum, reductarum ad principia Queſnelli & contra

Bulla vnigenitus cum 101 propoſitionibus Queſnelli.

Caſus conſcientiæ Ianſeniſticus reſolutus per 40 Doctores Sorbonicos, prodiit in lucem a. 1702.

Conſtitutio *Clementis XI.* contra hunc caſum.

Breue eiusdem ad regem Chriſtianisſimum.

Breue eiusdem ad Cardinalem de *Noailles*, archiepiſcopum Pariſienſem.

Epiſtola reſponſoria Cardinalis de Noailles ad. S. D. N.

Breue II. Clementis XI. ad regem Chriſtianisſimum

Quatuor Doctores in Ianſeniſmo obſtinati, in exilium miſſi.

Cet-

Ceteri omnes doctores huius casus resolutores suam sententiam reuocarunt: ex quorum numero *Natalis Alexander* scribit epistolam ad S. D. N.

Epistola vicarii generalis, archiepiscopi Mechlinensis ad theolog. facultatem Louanensem.

Iudicium theologorum Louanens. de dicto casu 8 articulis expositum.

Decretum archiepiscopi Mechlinensis, prohibens resolutionem dicti casus.

Decretum Serenisſ. Iosephi Clementis, archiepiscopi Electoris Coloniensis, episcopi Leodiensis, ducis Bauariae, de eodem casu conscientiae.

II. *Gemma Sacrosanctae crucis Domini nostri Iesu Christi, ex amplissimo Sacrae Scripturae mari, collectae, seu figurae & prophetiae de eadem S. cruce & innocentissima passione, ex libris veteris & noui testamenti desumptae, sermone ligato descriptae per M. IACOBVM PAVLVM RADLINSKI, Polonum, sacrae Theologiae Doctorem, ordinis canonicorum regularium custodum, ſſmi Hierosolymitani sepulchri, PRÆPOSITVM generalem INFVLATVM. Anno Domini 1755. Cracouiae typis Michaelis Diaszewski S. R. M. Typographi. in 4to. Alphab. 1.*

Perillustris ac Reuerendissimus praepositus generalis infulatus D. I. P. *Radlinski*, diu iam in republica litteraria, Polona in primis, inclaruit, cumque iam senex meritis abundet, neque minus tamen praeter ordinarios labores, vires ad conscribendos libros laudabiliter confert.

Ut exteri eo melius de vena poetica reuerendissimi nostri Radlinski, celeberrimi in Polonia poetae Latini, indicare possint, speciminis loco figuram sic dictam de Isaaco adponemus:

Ligna holocauſti, Iſaaco Filio Abrahæ impoſita, iuxta Genes: Cap. 22. *Tulit quoque ligna holocauſti, et impoſuit ſuper Iſaac Filium ſuum.* Supra quod Sanctus Auguſtinus ſerm: 17. de Tempore inquit: *Quod Iſaac ipſe ſibi ad immolandum ligna detulit, et in hoc Chriſtum Dominum figurauit, qui ad locum paſſionis, Crucem ſuam portauit.*

UT Patris, & Geniti mentem DEUS Ipſe probaret,
Hunc Genitum mandat ſacrificare ſibi.
Divinis monitis, Patriacha paratus obedit,
Obſequitur pariter, natus & ipſe patri.
Conveniunt ambo, pergunt ad montis acumen,
Fert enſem genitor, fert ſibi ligna puer:
Cædere vult Genitor, cædi vult Filius ipſe,
Et ſic ex animo, victima bina ſtetit.
Filius ille ferens, pro mortis vulnere ligna,
Signabat clare, ligna beata Crucis:
Nam ſicut dictus natus ſua ligna ferebat
In ſcapulis: quando ſacrificandus erat:
Sic propriis humeris Chriſtus noſterque Redemptor
Detulit in montis culmina, ligna Crucis.
Hanc ſobolem Patris, qui negligit eſſe ſequendam
Et quis poſt Chriſtum negliget ire, ſequi!
Quod præſignatum: Chriſtus perfecit in actu,
Quem non allicient, talia facta Ducis?


Impreſſum Varſaviæ menſe Septembri A. 1757.

LAVRENTII MIZLERI DE KOLOF
REGNI POLONIÆ HISTORIOGRAPHI,
MEDICI VARSAVIENSIS
S. R. M. C. A.

ACTA LITTERARIA

REGNI POLONIÆ
ET
MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ

A. MDCCLVI.
TRIMESTRE SECUNDUM



CUM SERENISSIMI REGIS POLONIARUM PRIVILEGIO.

VARSAVIÆ
ET TYPOGRAPHIA SAC. REG. MAI. MIZLERIANA.

SUMMA CAPITUM

I. SIMONIS STAROVOLSCII de claris oratoribus Sarmatiae libellus, ſecundum exemplar Florentinum denuo typis exſcriptus. Accedit breuis SIMONIS STAROVOLSCII, eiusque operum notitia, ex illuſtriſs. atque Reuerendiſs. I. A. comitis ZALVSCII ſupr. regni Pol. Refer. *bibliotheca ſcriptorum Polonorum* deprompta. Cum praefatione Laur. Mizleri de Kolof, regni Pol. Hiſtoriographi, et Medici Varſavienſis.

II. Vita archiepiſcopi Gneſnenſis XLIX. ſeu regni Poloniae primatis, IACOBI VCHANII.

III. De modo et ordine electionis regis apud Varſauiam anno 1572. habitae, rationeque eligendi reges Poloniae, STANISLAI KARNKOWSKI archiepiſcopi Gneſnenſis.

Eiusdem panegyricus ad HENRICVM Valeſium, Poloniae regem deſignatum.

IV. Catalogus comitiorum, AUGUSTO II. Rege, cum continuatione vsque ad comitia anni 1736.

V. Noua litteraria Polonica.

I

SIMONIS STAROVOLSCII

DE CLARIS ORATORIBUS SARMATIÆ †

Florentiæ, ex typographia Zenobii Pignorii, Superiorum permissu. 1628.

Illustrissimis adolescentibus CHRISTOPHORO *&* CASIMIRO SAPIEHIS, *magni Senatoris* LEONIS SAPIEHÆ, *Palatini Vilnensis, & exercituum M. D. L. generalis, magnæ spei filiis,* SIMON STAROVOLSCIUS *omnia fausta precatur.*

G*Ræci & Romani antiqui*, ILLUSTRISSIMI DOMINI, *non aliam ob caussam se reliquis gentibus cultiores esse, prædicabant, nisi quod & rei militaris ipsi, & bonarum litterarum cognitionem exactiorem illis haberent: atque exinde simul morum suauitatem, cultum virtutum, & artem imperandi. Et quo perfectiores & adhuc prudentiores aliis euaderent, diuersa exercitia domi, ac peregrinationes longinquas instituebant, & Rhodum isti atque Athenas, Ææg.yptum, Chaldæos, extremaque Indiarum peragrabant. Horum postea exempla, tanquam normam perfectissimam ceteri populi secuti, eorumque armis perdomiti filios suos, tum in Græciam, tum in Italiam, vt barbariem excuterent, ablegabant, maxime cum iam Christianæ religionis lumen recepissent. Hoc istud fecere ex septentrionalibus nostri Sarmatæ, postquam sub* MIECISLAO *principe, Euangelii lucem, & sub* IAGELLONE *rege, doctrinarum etiam vsum, agnouerunt. Faciuntque in hodiernum, & cum barbaras quasuis gentes militaris peritiæ caussa, peragrans, tum Europæas cultissimas omnes, bonarum litterarum & virtutum amore: nec sinunt ingenium, quo nequemelius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque socordia torpescere. Quorum pulcherrima consuetudine ac inuitatione vos etiam,* ILLUSTRIS: ADOLESCENTES, *tot exteras atque remotissimas gentes in hac ætatula vestra adiistis, vt & mores eorum & linguas cognosceretis, quodque vel ex arte militari, vel melioribus disciplinis videretis patriæ vsui fore, id addisceretis diligentissime. Ac propter ea celebriores quasuis academias visitastis, exercitus diuersorum principum lustrastis, atque insuper aulas eorum in transitu salutastis. Nec restat vobis quidquam, nisi vt vrbem Romam, & in ea religionis nostræ caput sanctissimum Pontificem venerati, redeatis in patriam felices, exoluturi vota illustrissimi parentis & expectantium amicorum. Cæterum, quia reduces oportet statim*

† Quia hic *Starovolscii* libellus rarissimus variasque non contemnendas in litteratis rebus Polonis notitias in se continet, omni ex parte eum his actis litterariis inserere, vna cum dedicatione *Starovolscii*, minimum dubitaui, cum exemplaria huius libelli ad vnum fere omnia, quæ pauca quidem nuper a me prelo subiecta fuerint, iam in Polonia sint distributa. Editionis Florentinæ exemplum scriptum manu, illustrissimus comes *Zaluscius*, regni Referendarius, in Poloniam attulit, in bibliotheca Zalusciana asseruatum.

aliquod ſingulare ingenii ſpecimen declarare, & ex aliis negotiis, quæ ingenio exercentur, in primis magno vſui eſt, memoria rerum geſtarum & eloquentia, ea propter, licet multæ variæque ſint artes, animis quibus ſumma claritudo paratur, ante omnia ſuadeo, comparandam eſſe notitiam rerum domeſticarum, & bene dicendi facultatem. Quia & ciuem neſcire leges ac mores ſuæ ciuitatis ſtultum eſſe putatur, & ea, quæ mente concipis, non poſſe aptis verbis exprimere, in publico præſertim, indecorum eſt valde. Unde, quamuis vos ſciam, & ſtatuta domeſtica & hiſtoriam gentilitiam, diligentiſſime iam legiſſe, & in eloquentiæ ſtudio, ſub magnis illis oratoribus, PUTEANO, VERNULÆO, CASTELLANO, *aliisque clariſſimis Athenarum Belgicarum magiſtris, non mediocriter exercitatos eſſe: nihilominus tamen & hic in Italia, fecunda altrice ingeniorum, & vnde tota fere eloquentia profluxit, non negligendum eſſe cenſeo, quicquid ad aſſequendam diuinam iſtam Divam occurrerit, probe ſciens, quod & aquæ dulcius ex fontibus ipſis bibantur, & quod in patria noſtra, hæc ars maximo in flore habeatur. Ad quam adamandam tanto vos magis incitare cupiens, hanc quoque breuem præſtantiſſimorum Sarmatiæ noſtræ oratorum, memoriam colligere & vobis patronis offerre, atque dicare volui, amoris & venerationis arrham. Ut & grauiſſimorum ſcriptorum lectioni, domeſticis exemplis permoti, diligentius inhæreatis, & æmulatione maiorum veſtrorum excitati, illuſtriſſimi parentis præſertim, atque ceterorum inclytæ familiæ veſtræ clariſſimorum* SAPIEHARUM, *quorum tot nomina in albo procerum regni Poloniæ memorantur, hodieque tantos in ſenatu, atque aliis dignitatibus rei publicæ præſidere videmus, diſcatis ſpartam veſtram ornare, amare bonum publicum, appetere honeſtatem. Quam vt denique ante oculos ſemper habeatis & me in paternorum clientum numerum referatis, ex animo voueo.*

† † †

LECTOR.

QUos hic dicendi laude præclaros viros eſſe dicimus, eos ſcias, æque in Romana ac in materna lingua diſertos fuiſſe, quia nos Poloni & publicas ſcripturas omnes & leges noſtras Latine ſcriptas habemus, ac proinde Latini ſermonis maximum vſum. Polonica quoque lingua noſtra, omnes illos, tam poetarum, quam oratorum, ornatus admittit, quoscunque aut Græci aut Romani adinuenere, ex quo Polonicum oratorem eſſe, perinde magnum cenſetur, ſicut & Latinum aut Græcum. Quod te, candide lector, præmonere volui, atque ſimul etiam ſaluere.

SIMO-

SIMONIS STAROVOLSCII

De claris oratoribus Sarmatiæ libellus.

NAtura æqualis omnium parens, cum per mundi plagas omnes, ea quæ ad vitæ conseruationem spectant, sufficientissime prouidisset, etiam quæ ad felicitatem assequendam requiruntur, non parca manu, singulis distribuit: vtque vitiorum fomitem cunctis inseuit, sic quoque virtutum semina æqualiter omnibus dedit. Prouisis siquidem pro diuersorum temperie proportionatis alimentis, & copia tegumentorum, tam sub frigidis axibus, quam sub torrida zona, prout quemlibet ad lapsum pronum culpa primorum parentum fecit; ita certe neminem sine recto rationis lumine relinquere voluit, quo se facilius ab hisce terrenis sublevans ad æterna & sublimia tenderet per virtutem, cœloque inferret animum, vnde originem accepit. Pauci attamen lumen illud secuti ad veram virtutis cognitionem peruenerunt, quod rebus mortalibus, quæ sese vltro sensibus nostris ingerunt, dediti, elegerint potius voluptates delectantes in præsens, quam scrutarentur perennia, quæ & finem incognitum habebant, & media ad assequendum perardua. Ast qui genio meliore incitati penitius rem considerando penetrarunt, non modo ipsi secundum regulam luminis naturalis honeste vixerunt, sed aliis etiam modum decenter viuendi monstrarunt, & quid honestas sit, quid ratio, virtus, aut summum bonum, pulcherrime explicarunt, obque eam rem, a reliquo vulgo, sancto quodammodo nomine sapientes sunt appellati. Quo nomine postea sui successores indignos se videntes, ob imperfectionem humanam, philosophi vocari voluerunt, quasi amatores sapientiæ & scrutatores tantum, non vero sapientes & perfecti in omnibus. His igitur tales, speculantes naturam continue, & considerantes elegantiam morum exactius, confecerunt tandem integras scientias, & præceptis & obiectis inter se distinctas, quas & characteribus litterarum pro libitu diuersorum excogitatis, diuersis quoque linguis descripserunt: sed quæ in Græca & Latina cultiores ad nostram vsque ætatem deuenerunt. Postea quælibet gens ornatius in lingua materna, ob plurium vtilitatem & cognitionem, transcriptas habere, curauit, etiam & barbari nonnulli. Ceterum, quia singuli, quam faciliori modo poterant, posteris eas tradere conabantur, velut commune quoddam bonum, & ad assequendam perfectionem omnibus necessarium, ideo omnes in enodatione rerum, quas explicabant, etiam verborum singulari quadam elegantia vtentes, vt rudiores ad litterarum dulcedinem allicerent, tacito quodam consensu, singularem artem eloquentiæ pepererunt. Quam postea consultim & ex professo, alii philosophi in certas regulas distribuerunt, seque ab aliis scientificis separato cognomine Rhetores appellarunt, dederuntque præcepta ad exempla infinita, quomodo aut in prosa, aut in carmine, eloquentia sit vtendum, & de re qualibet, non modo argute, , sed etiam ornate, copiose, & cum modo differendum. Adeo, vt videatur nunc eloquentia esse, veluti vultus formosissimi alicuius iuuenis, quem siue toga, siue braccis vestias, æque pulcher manet: itidem, si aut muliebri, aut clericali, aut quouis alio genere vestis eum ornes. Etenim vbique disertus & eloquens apparebis, si ea quæ a rhetoribus traduntur, vel in carmi-

carmine, vel in oratione diligentiſſime obſeruabis. Similiter ſi vel theologiam vel iurisprudentiam, medicinam, philoſophiam, matheſin, hiſtoriamue tractabis, idque non in Latino ſolum, aut Græco ſermone, ſed in quouis tuo materno aut barbaro. Et quamuis nullus ita perfectus fuerit, vt omnia, quæ ad exactam eloquentiam pertinere videntur, aſſequi voluerit, vt enim de *Platonis*, aliorumque Græcorum eloquentia Romanus ſapiens ait: *magna & varia res eſt eloquentia, nec adhuc vllis ſe ſic indulſit, vt tota contigerit. Satis felix eſt, qui in aliqua parte eius receptus eſt*: nihilominus tamen, non in Græcia ſola, aut Latio tantum diſerti viri fuere, ſed in diuerſis etiam gentibus ac regionibus, & quæ ad id æui barbaræ ſunt habitæ, clariſſimi oratores floruere, vbi cœperunt excoli, Evangelii luce recepta. Prout & in Sarmatia noſtra, vbi eloquentia olim, ne in vſu quidem, nedum in honore vllo erat, rudi ſcilicet ac bellicoſa etiam tum gente Polona, nec dum magno opere liberalibus diſciplinis vacante, quamuis fidei Chriſtianæ profeſſionem iam ſuſcepiſſent. Nec enituit quisquam per tot ætates, præter

IOANNEM CADLUBCUM,

Epiſcopum Cracovienſem & MARTINUM Polonum, Ordinis Prædicatorum, nominatum poſtea Archiepiſcopum Gneſnenſem, quorum vterque, multiplici variaque diſciplina cenſebatur, quod ſane ex commentariis eorum apparet, quanquam pauciſſimi extent. Primus itaque ſtudium bonarum litterarum in Sarmatiam intulit. VLADISLAUS IAGELLO, erecta academia Cracouienſi, fundatisque epiſcopatibus aliquot, cum ſuis ſeminariis in locis oportunis. Licet & ante illum fuerint nonnulli litterati, ſub CASIMIRO magno, & aliis regibus, qui aliquid diligenter & acute ſcienterque poterant aut dicere aut ſcribere, eccleſiaſtici viri præſertim: ſed qui ad famam dignationemque dicendo peruenerit primus fuit.

SBIGNEUS *Cardinalis* OLESNICIUS,

Qui dicitur ingenii magni, memoriæque ſingularis fuiſſe, nec minus Græce quam Latine doctus: Et qui alios doctos eſſe volens, erexit pro ſtudioſa iuuentute penes academiam Cracouienſem collegium ampliſſimum, *contubernium Hieroſolymitanum* nuncupatum. Alii poſtea alia virum tam magnum æmulati, vt IOANNES NOSCOVIUS, *contubernium philoſophorum*, IO: DLUGOSSUS *contubernium iuriſperitorum*, MATTHIAS MICHOVIENSIS *ſcholas ſeu claſſes triuiales*, reliquaque gymnaſia reliqui, quæ vſque in hodiernum florentiſſima durant. Sic igitur magno ſtudio hominibus iniecto, magna etiam profeſſorum & doctorum profluxit copia, adeoque floruit, vt nonnulli ex infima fortuna ad ſummos poſtea honores proceſſerint, & eloquentiæ vim ita populis commendauerint, vt vbi modo maior illius vſus reperiretur, penitus non videam. In Polonia etenim dum aut naſcitur, aut moritur nobilis quispiam, a vicinis concurrentibus, vel gratulatoriæ, vel lugubres orationes in maxima corona auditorum inſtituuntur. Similiter dum aut nuptiæ celebrantur, aut diſſidentes ad priſtinam amicitiam reuocantur, dum e bello aut peregrinatione longinqua reduces ſalutantur, dum in prouinciis conuentus publici boni cauſa peraguntur, dum legati municipales ad generalia comitia regni mittuntur, dum eliguntur iudices tribunalis quolibet anno, & quolibet tractu, ſemper ibi oratoris modo & ad rhetorum præſcripta declamatur. Taceo hic ſententias ſenatorum publice recitari ſolitas, taceo cauſidicorum actiones, coram rege aut parlamentis, taceo

ceo prædicatores, omni dominico aut festo die, per totum annum & in omnibus templis ad populum concionantes. In summa, haud recte sane equitem, sed Polonum ille appellabit, qui de re quauis diserte & ornate disserere nequit. Non quidem Latine, quia is sermo, sicut aliis, ita & nobis magna cum difficultate & studio venit, sed Polonice, & lingua nostra materna, quæ omnia tam poetarum, quam oratorum præcepta & ornamenta admittit, quæcunque aut Græci, aut Romani, sapientes adinuenere. Ac proinde sciendum est, alios apud nos linguæ Latinæ claros oratores fuisse, alios linguæ vulgaris: itemque alios status ciuilis, & alios status ecclesiastici, tum Senatorii ordinis, tum equestris atque plebeii. Quorum in tam amplo regno, quamuis infinitus fuerit, estque semper ob assiduum exercitium numerus, non tamen omnes hic commemorari possunt, nam & Romæ, vbi eloquentia floruit, & in Græcia, vbi primum nata fuit, paucissimi clari memorantur oratores, licet natiuo sermone loquerentur, & tot sæculis studia litterarum tractarent, vnde pulchre LABERIVS.

Non possunt primi esse omni tempore
Summum ad gradum cum claritatis
Veneris,
Consistes ægre.

Quid vero nos Sarmatæ? qvi vltimi fere omnium septentrionalium & lumen fidei agnouimus, & litterarum dulcedinem degustauimus: qui imo nec ea, quæ aut fecimus præclara, aut ingenio adepti sumus, posteritati scriptis mandare consueuimus, nescio quo errore, ne dicam stupore, aliena semper mirantes, nostra contemnentes, licet & interpolitiores gentes, non cuiusuis ingenii sit libros scribere, quia fieri potest, vt recte quis sentiat, & id quod sentit, polite eloqui non possit, & vt locutus est, calamo exprimere non valeat. Nihilominus plurimi nostratium, non in paterna tantummodo, sed in Latina quoque, atque etiam Græca disertissimi oratores reperiuntur, partim in academiis ab optimis præceptoribus eruditi, partim in cancellariis prouinciarum, maxime vero parlamentorum & regis ipsius exercitati, vbi omnes scripturæ, omniaque iura Latino sermone tractantur, quos etiam iuuat vsus, vti dixi, quotidianus declamationum in lingua vulgari passim obseruatus. Pluresque in dies forent & clariores (quamuis ex omnibus sæculis paucissimi numerantur excellentes oratores) si modo litteratorum hominum Rex & dynastæ maiorem respectum haberent, atollerentque virtutem ipsorum, vel saltim fato sublatorum conseruarent memoriam, aut quæ posteris reliquerunt ingeniorum monumenta. Quorum ego breuem mentionem facere volens, primo loco ponendum esse putauerim.

IOANNEM *Comitem* TARNOVIUM

Cum in Africa sub auspiciis *Emanuelis* regis Lusitaniæ, tum in patria sub SIGISMUNDO I. & SIGISMUNDO AUGUSTO, eius filio, victoriis clarum & senatorem amplissimum, nec minus dicendi peritia, quam imperatoriis virtutibus apud posteros commendatum, & qui hoc omnino singulare habuit (cum omnium, præcipue principum, mos sit, præsentia contemnere, vetusta mirari) quod solus ætatis suæ fauit ingeniis, & STANISLAVM ORICHOVIVM, SIMONEM MAVRICIVM, oratores disertissimos CLEMENTEM IANICIVM, SAMBORITANVM, poetas excellentissimos, aliosque plurimos viros eruditos, maxime iuris consultos, penes se fouit. Et quamuis bellicis curis semper occupatus, tamen liberalibus studiis tantam operam dedit,

vt non temere quis plura in otio ſcripſerit. Itaque rerum a ſe geſtarum Iulium Cæſarem factis & ſtudio æmulatus commentarios ſcripſit. Idemque gentis ſuæ annales.

PETRUM KMITAM

Vltimum familiæ ſuæ decus, hic illi prudens ſubiungam, quod & claritate generis, & honorum in republica magnitudine & ſtudiorum ſimilitudine, pæne pares fuiſſent, ad hæc ſanguinis coniunctione propinqui: nam Petrus Tarnovii auunculus erat, illique eius ex ſorore nepos, qui tamen voluntatibus longe diſcordes fuere, & ſententiis in ſenatu ſemper contrarii. In tantum, vt TARNOVIUS inimicitias eius ſufferre nequiens, quamuis prior loco, & officio regendorum exercituum patriæ potentior, deliberauerit patriam relinquere, ſeque in Bohemiam cum tota familia transferre, vbi iam & poſſeſſiones ſibi opulentas comparauerat, & FERDINANDI Cæſaris ſe ſubditum eſſe in conuentu principum Germaniæ declarauerat, ni fata opportune KMITAM ſuſtuliſſent, qui cum grandi apparatu, tantaque cauſidicorum ſuorum caterua intereſſe comitiis regni deſtinabat, vbi tum TARNOVIUS ob eius in ſe machinationes & perpetua diſſidia, valedicere patriæ volebat. Profecto enim vir iſte, & ingenio & induſtria & potenti ſuo eloquio, in ſenatu plurimum pollebat, habebatque penes ſe cum varios viros eruditos, tum præcipue iuriſconſultos ac oratores illuſtres, in his vero IACOBUM PRILUSIUM, & ANDREAM KROVIECIUM viros non facundos modo atque diſertos, ſed vaferrimos etiam & acerbos, quorum conſiliis res ſuas omnes firmabat. Si tamen, quid inter hos duos ampliſſimos ſenatores interſit, roges, dicam Kmitam plus facultatis oratoriæ, Tarnovium plus philoſophicæ grauitatis habuiſſe. Succedit

PHILIPPUS PADNIEVIUS.

Vir pulcher, prudens, probus, obque linguam diſertam, nemini non carus, & quem PAULUS IOVIUS ſingulari laude proſecutus inter alios ætatis ſuæ viros eruditos, quos elogiis ornauit, aſſerendum haud dubitauit. Qui cum paſſim in corona ſenatus vim eloquentiæ ſuæ exercuiſſet, diligentique cura epiſcopatum Cracouienſem adminiſtraſſet, non inferior ſemper prudentia fuit, quam ſplendido aulicorum ſuorum comitatu, quos centum ordinarie catenis aureis præcinctos, veſtitosque holoſerico, currum ſuum præcedere iubebat, totidem aliis eum ſequentibus aut circumdantibus, dum iret aliquorſum. Quemadmodum itaque ipſe polita munditie domi, & exquiſito verborum delectu in oratione oblectabatur, ſic ſimilium ſui, præclariſſimorum in patria virorum vitas, ſtilo egregio conſcriptas, & elogiis ornatas, poſteritati reliquit.

NICOLAUS *quoque* VOLSCIUS

Plocenſium antiſtes, ſemper excellentem & egregiam facundiam in perorando demonſtrauit, quam ſi aliunde neſciremus, hinc liceret intelligere, quod conſummatæ prudentiæ ſenator, PETRUS TYLICIUS, epiſcopus Cracouienſis, epiſtolas illius manu ſcriptas ſæpius reuoluens, omnes illum ſua ætate eloquentia, ſeſe autem infinitis paſſibus viciſſe commemoraret. Addebat etiam, velut L. Craſſo apud Romanos, illi id vni ſingulariter contigiſſe, vt quoties peroraret, toties ſolito altius, & ſine exemplo locutus videretur. Non videtur prætermittendus

SAMUEL ZEBRIDOVIUS.

Qui medius inter eloquentiſſimos ſui temporis oratores, Nicolaum Volſcium & Philippum Padnievium conſtitutus, vt erat præſul generoſi animi, & rotundi oris inter tot facundos conciues ſuos terræ

terræ Cracouienſis, inſaniam vocabat, ea loqui vel ſcribere, quæ plus admirationis, quam intelligentiæ allatura ſit animis audientium. Ac proinde ignota tum ſectantes, atque noua in Polonico noſtro ſermone excogitantes verba, ſpreuit, irriſit, & caſtigauit, vnum in loquendo ſtudium eſſe intelligens, vt quam clariſſime conceptus mentis exprimeretur. Idem & in Latino ſermone obſeruandum eſſe exiſtimans.

IOANNES *de* OCIESZINO

Verum togæ decus, & muſarum patronus, cum aliis virtutibus immortalitatem ſibi parauit, tum inimitabilis, & vt IOANNES HERBUTUS, æuo illo præclarus orator, iudicabat, ne tentandæ quidem aliis eloquentiæ laude, per omnes ætatis progreſſus, tot honorum gradus ſuopte nixu aſſecutus eſt, vt nullo manum porrigente, ad culmen ſupremi cancellariatus euaderet, legationibusque compluribus ad diuerſos principes peractis, (neque enim vllius ore ſæpius tum quam Ocieſzano locuta eſt Polonia) non pro officio tantum, ſed pro dignitate etiam rei publicæ munus ſuſceptum obiret. Quippe, cui præter magnitudinem ingenii & ſublimitatem animi, principatum inſuper iuris omnes deferebant, & abyſſum eruditionis alii, alii ſcientiarum mare, alii litteratorum ſolem, perpetuumque litterarum dictatorem appellabant. Maxime, quod libere ſe natum cogitans, ad nullius arbitrium aut loqueretur, aut taceret, & ingenuitatem ſermonis ſpe precii, aut fœdo adulationis vitio, non corrumperet.

IOANNES PREREMBIUS

Inter primates regni Poloniæ, inſula Gneſnenſi conſpicuos, non poſtremo loco cenſendus, ſiue prudentiam in illo, ſiue dicendi peritiam, deſideres. Ita enim ſententiam in ſenatu de rebus grauiſſimis cum omnium applauſu & admiratione dicere ſolitus, vt non indignum ſe primo loco facile omnibus probaret, iſtudque peculiare haberet, vt neque linguæ tarditas, nec cerebri ſeu laterum fragilitas, nec vlla prorſus mutatio, in tam longæuo oratore poſſet intelligi.

PETRUS TOMICIUS

Diuini pariter & humani iuris illa ætate conſultiſſimus, cum procancellarii munus tot annis ob linguam diſertam geſſiſſet, etiam Cracouienſis eccleſiæ epiſcopalem tiaram aſſecutus, a procella fori fugere haud poterat, quod Rex virum rei publicæ neceſſarium videns, a ſcriptione regni monumentorum dimittere noluiſſet. Vbi tot curis, totque legationibus longinquis & grauibus diſtentus, priuatum nihilominus ſtudium nusquam intermiſit, & præter orationes illas, quarum in vitis ſcriptorum Polonicorum mentionem fecimus, aliquot alia varia eruditionis volumina compoſuit, ſed quæ vetuſtate, aut negligentia noſtra verius, intercepta perierunt.

IOANNES LUBRANSCIUS

Non minus facundi oris gloria, quam inſula Poſnanienſi clarus, idem & iuris tum patrii ac ciuilis, tum pontificii peritiſſimus. Qui alios ſibi ſimiles efficere cupiens academiam Poſnanienſem ex reditibus ſuis erexit, & quæ quondam ipſe in conuentibus regni pro libertate ciuium ſuorum, aut dixit prudenter, aut geſſit animoſe, maxime tum, cum Rex SIGISMUNDUS filium ſuum, AUGUSTUM, in regno electiuo, hæredem per vim inſtituere voluiſſet, commentariorum libris exarata poſteritati reliquit. Et ſane prudenter, neque enim clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quo diutius memoria ſui teneremus.

CHRI-

CHRISTOPHORUS SIDLOVIECIUS

In familia quidem ſua vltimus, ſed in ſenatu eloquentiæ laude primus, & cui tanta inerat hiſtoriarum memoria, vt, dum proponeretur ducis cuiuspiam nomen, geſta illius celeriter & ex tempore narraret, non ceu pridem cognita, ſed velut modo perlecta.

IOANNES CHOINUS

Sedis Cracouienſis epiſcopus, cum multis prudenter feliciterque geſtis claras, tum inſigni illa virorum diſertorum amicitia, SIDLOVIECII nimirum & TOMICII, vt ex epiſtolis illorum, a IACOBO GORSCIO, ſummo dicendi magiſtro, editis, clare relucet. Horum etenim trium ſimul eloquentia maiorum noſtrorum æuo celebrata eſt, & cum aliarum virtutum, tum Sarmatici candoris, indiſſolubilis triga. Traditumque eſt memoriæ Sidloviecii imperioſam & torrentem, Tomicii prudentem & iucundam, Choinii circumſpectam & ſuauem eloquentiam fuiſſe.

LAURENTIUS GOSLICIUS

Eccleſiæ Poſnanienſis antiſtes, tantam dicendo opinionem aſſecutus, vt quemadmodum olim apud Romanos P. Cor. Scip. Naſica, totius ſenatus iudicio vir optimus dictus, adque inferendum in vrbem Phrygium quoddam ſacrum ex Delphici oraculi præſcripto, inter tot centena millia Romanorum electus eſſet: ſic ille conſcripto libello de optimo ſenatore cunctis applaudentibus, & epiſcopali infula & ſenatoria ſella ornatus, cum ſe talem ſemper, qualem deſcripſerat ſenatorem, præſtaret, ab omnibus quoad vixit, & optimus ciuis, & optimus orator habitus eſt. Nec minorem certe poſt funera laudem conſecutus, cui a tot viris doctis & collegiis integris parentatum fuit, vt maiorem quispiam gloriam optare poſſet, non autem ſperare.

PETRUS MISCOVIUS

Inter reliquos anteceſſores ſuos viros diſertos & eruditos, ſedem epiſcopalem Cracouienſem non modo præclaram factis aliis, politiorisque cultus moribus, aut aulæ ſuæ ſplendore exornabat, ſed ſingulari quoque ſua facundia, qua a natura præditus erat, & doctorum virorum, quos ſumtu ingenti alebat, iucundiſſima conuerſatione, aliis venerandam faciebat. Vt enim vetus prouerbium habet, qualibus quiſque rebus animum oblectare ſolet, aut cum quibus amicitiam agit, talis & in regimine & in reliqua ſua vita ab omnibus cenſetur eſſe. Iam vero quales in ſuo contubernio viri, quamque varie docti fuere, quis non videat, ad quos modo aut fama aut ſcripta deuenere? Cochanovii videlicet, Dobrocieſcii, Triceſii, Mancinii, Bielſcii, Gorecii, Ianodlovii, Gorcinii, Foxii, Povodovii, & quos omnes enumerare labor infinitus eſſet.

ANDREAS PATRICIUS

Ingenti labore & ſtudio Ciceronem aſſequi conatus, tantam ſibi laudem dicendo ſcribendoque comparauit, vt, qui diuinam illam eloquentiam ex Sarmatis propius aſſecutus illo videatur, iudicemus eſſe neminem. Nec immerito. Qui enim laborem fugit, & gloriam & virtutem fugit, ad quas nunquam niſi arduo & laborioſo calle pertingitur. Iam vero quantum ille in conquirendis fragmentis Ciceronianis deſudauerit, quantum in legendo, in formando ſtilo, inque ſcribendis libris pro eccleſiæ catholicæ defenſione, laboris ſuſceperit, quibus & epiſcopam ſuam Vendenſem exornauit, & ſibi nomen immortale peperit, nullus recte æſtimare poterit, niſi qui opera ſua diligentiſſime legerit.

DEMETRIUS SOLICOVIUS

Græco illi Demetrio Halicarnaſſeo par, ſi doctrinam ſpectes, ſi vitæ ſanctitatem,

ſtitatem, ſuperior multo. Hac enim prælucebat vniuerſo clero, non in Ruſſia tantum, vbi primatum inter ſuffraganeos ſuos metropolita Leopolienſis tenuit, ſed per totam Poloniam, & Europam fere, quam peragrauit maiori ex parte, quater & vigeſies ad diuerſos principes pro republica orator. Omnia poſteritati relinquens in diariis, quicquid fecerit, dixeritue aliquando, ſeu in publica, ſeu in priuata vita, incipiens ab eo tempore, quo ſacris initiatus rempublicam tractare aggreſſus maioris ſecretarii titulo a rege ornatus. Ex his itaque illius ephemeridibus, & aliis ſcriptis, quæ in lucem dederat, ipſe quantum eloquentia valuerit, quisque animaduertere poteſt. Qui & in decrepita iam ætate, tanta prudentia pollebat, vt & præteritorum memoriam & præſentiam, intelligentiam & prouidentiam futurorum exactiſſimam haberet.

MARTINUM CROMERUM

Omittere grande nefas crederem, qui præterquam quod in hiſtoria Polona Livius Sarmaticus audit, etiam in perorando clariſſimam famam aſſecutus erat, cum non ſolum in ſenatu cum omnium admiratione & voluptate declamaret, ſed legationibus quoque, ad CAROLUM V. imperatorem & FERDINANDUM Cæſarem ſæpius peractis, iudicio exterorum nomen oratoris ſibi comparaſſet, editisque quam plurimis oratoribus Latinis, ſe non inuita Minerva ſcripſiſſe, poſteris ampliſſime teſtatus eſſet. Qua ſede præter ea

STANISLAUM HOSIUM

Aeſchinem, vt ita dicam, Latinum, locabo? cuius eloquentiæ fama eo cultiores populos perduxit, vt illo inſcio, trigeſies libros ſuos, cum fere omnes, tum fidei confeſſionem præcipue typis variis excuterent? vbi nihil raptim & tumultuario, vt aiunt, ſtilo ſcriptum inuenias, ſed tanta maieſtate ſententiarum, tantaque verborum modeſtia completa omnia, vt ab arte eloquentiæ non multum abeſſe videantur. Nec puto de hac re fide digniorem Orichovio teſtem expectari, qui multis in locis ita miratur Hoſii eloquentiam, vt ſe ſe imparem multis modis fateatur, ipſe ab omnibus ſummus orator & alter Demoſthenes iudicatus. Cæterum

IOANNIS ZAMOSCII.

Quem humanæ ſapientiæ & virtutum vnicum ſpecimen, non ſolum vulgaris fama promulgat, ſed maximi ingenii auctores deſcripſere, facta aut dicta referre, grande aliquid eſſet, ſi amplioris marginis ſpatium daretur. Quis enim, quanta in eo fuerit prudentia, temperantia, rectitudo animi, perſeuerantia, ſic arctato calamo comprehenderit, in quo quidem omne genus virtutis ſic inſitum eſſe conſtat, vt ſi quis per omnem honeſtatis gradum exempla requiſiuerit, optimarum rerum fertiliſſimum monumentum ZAMOSCIVM intelligeret. Nec minor, dux militiæ qui prudentia fuit, & reipublicæ vnicus adminiſtrator. Quapropter ab ipſis ingenuæ præſtantiæ viris optimis, velut alter Cato Cenſorinus, imperator optimus, orator optimus, optimus ſenator iudicatus eſt. Cuius maximæ profunditatis ingenium ad hoc vſque proceſſerit, vt, cum iam ſenex, & negotiis reipublicæ occupatus eſſet, Logicam Stoicam, certaque poemata Polonica & ſtilo eleganti & grauiſſimis argumentis conſcripſerit, vt hic taceam libros de ſenatu Romano, epiſtolas de variis reipublicæ negotiis, itemque orationes de diuerſis rebus vel ſcriptas, vel prælo mandatas, vel recitatas tantum in ſenatu, aut corona militari. Vbi eius eloquentia (vt de Iulio Cæſare inquit Suetonius) aut æquauit præſtantiſſimorum glo-

gloriam, aut exceſſit, ſiquidem dicta eius omnia conſiliaque, tum in populo, tum inter primores patrum, pro oraculis habebantur. Ad admirandum lectori potius, quam imitandum adiungam hic ſtatim filium

THOMAM ZAMOSCIUM

Cuius non mediocris ſane diligentia in paternum ſuccedentis locum, & eloquium, tot experimenta iam in republica dedit, vt quod de paucis ſcriptum eſt, de illo in Polonia paſſim dicatur, rem vtramque paterno exemplo conſummare præſtitit, ſi arma ſumat, natum in armis credas, ſi ſe ad ſtudium vertat, inter litteras educatum.

STANISLAUS ZOLKIEVIUS

Quem armorum laus, & victoriarum gloria, omnibus quotquot in Sarmatia bellicoſiſſimi duces fuerant, exæquarunt, a ſtudio litterarum, medio quamuis in bellorum furore, non abhorruit, ſed Zamoſcium æmulatus, ſub quo militiam condiſcerat, cum alia Ciceronis opera aſſidue legit, tum libros de officiis in ſinu quotidie geſſit. Cuius & in hiſtoriis perlegendis tam vehemens ſtudium fuiſſe compertum eſt, vt ex quo primum litterarum dulcedinem guſtauit, nulla vnquam alia dulcedine diſtrahi potuerit, nec bellorum curis, nec victoriarum lætitia, nec gloria triumphorum, quibus ornatiſſimam ætatem egit, debellatis præſertim Moſcovitarum imperatoribus. Donec ad vltimum rem gerens in Valachia, cum hoſte tam inſidioſo, cum non omnia circumſpiceret, incauti ducis nomen adeptus, ſe & totum exercitum perdidit. Elatus ſiquidem victoriarum ſuarum, & excitatus cupiditate ſæpius vincendi, cum longius quam oporteret, cum exigua manu ſuorum, a finibus patriæ progreſſus eſſet, ab ingenti barbarorum multitudine circumcluſus & oppreſſus, non minorem lugendi cauſam dedit patriæ, tam puerili errore, tam probati ducis & iam ſexageſimum ſupergreſſi, quam interitus. Cuius filium

IOANNEM ZOLKIEVIUM

Tam ſtudioſe paternis veſtigiis inhærentem vidimus, vt ni mors præmatura reducem ex Scythica captiuitate, tam cito rapuiſſet, euaſiſſet profecto in magnum bellatorem & oratorem vna, vt qui ſtudia liberalia ab ætate prima cupide & liberaliſſime exercuit ſemper, priusquam adhuc ad exteras nationes, excolendi ingenii cauſa, a patre miſſus fuiſſet, cui toto bello Moſcovitico adhærens in tanta rerum mole & varietate, & legiſſe & ſcripſiſſe & declamaſſe, fertur.

Tres ſimul vnius familiæ clariſſimos oratores libuit coniunctim recenſere, VALENTINUM videlicet, IOANNEM & FELICEM, HERBURTOS, quod & eloquio & eruditione eſſent ſibi pares, & tempore nihil fere a ſe diſtarent, quorum ingeniis non Roxolaniam modo (vbi nati, etiam honores præclariſſimos geſſerunt) ſed Poloniám vniuerſam ornatam habemus. Nam VALENTINUS in concilio Tridentino, regis & cleri Poloniæ orator, quid ingenio, quidue eloquio poſſet, vniuerſi orbis patribus teſtatus eſt, vt colligimus ex orationibus eius, quas prelo excuſas reliquit. IOANNES vero frater ſuus, non dicenda ſententia in ſenatu tantum, aut reconciliandis inter ſe diſcordibus dynaſtis, vnde mediatoris cognomen ab incolis Ruſſiæ promeruerat, felix & illuſtris, ſed a poſthumantibus etiam ſemper memorandus, quod imitatione Flori, res maiorum noſtrorum geſtas ſtilo eleganti in compendium redegerit, patriasque leges omnes in vnum volumen congeſſerit, quibus omnem noſtram vitam poſt mandata diuina excultam inſtitutamque habemus. Quod quidem opus

ſtatu-

Statutum appellatum,inter tot iurisperitorum noſtrorum authentica, maximæ certitudinis & auctoritatis habetur. FELIX vero eius filius, non tantum perfectus orator, ſed etiam philoſophus fuit, licet in reliqua ſua vita, rebusque gerendis, non pro voto aut meritis felix. Sed in proſa plurima & optima ſcripſit, quæ tamen maleuolentia inuidorum plane omnia interierunt, quamuis conditio iſta ſit omnium mortalium, vt nullus omnino ſit irreprehenſibilis, ille perfectus atque optimus dici poteſt, qui paucis & paruis obnoxius eſt. Virtus nihilominus ſua digna gloria non carebit, ſed vel inuita ſequetur, vt corpus vmbra.

STANISLAUS CARNCOVIUS

Archiepiſcopus Gneſnenſis, vnus e numero doctiſſimorum hominum, Aſtreæ ac Sophiæ myſta, idemque eloquentiſſimus ætate ſua omnium ſenatorum, & ipſe ſtilo eleganti pluſcula volumina poſteritati reliquit, & in ſuo ſodalitio complures viros egregios habuit, quos & apud regem, aliosque principes, benigne ſemper promouit. Egregios autem viros dico, quos egrege hominum vulgarium, vt inquit Petrarcha, aliqua abſtraxit excellentia, & vel iuſtitia inſignis ac ſanctitas (quod heu noſtra ætate perarum eſt) vel rei militaris experientia ac litterarum copia, rerumque notitia ſingulares facit. Quia non omnibus eſt datum, vel ſanctitate vel litteris excellere, præclaroque otio poſteritatis amorem ac notitiam promereri, quamuis ſint aut docti ſatis aut rei militaris periti, ſed qui ſingulari diligentia, labore, geniique naturalis inclinatione id aſſequi nituntur. Tales ille promouit, talis ipſe fuit, vt teſtatur Cenotaphium ſuum, a venerabili capitulo almæ metropolitanæ eccleſiæ Gneſnenſis ſuperl-a erectum.

PETRUS TILICIUS

Sacrarum ſcripturarum peritiſſimus, philoſophiæ chariſſimus alumnus, orator egregius, incredibili phyſicæ & hiſtoriæ notitia, iunior in aula regis diuerſis officiis functus, blandientes illecebras, maſculo ſupercilio reiiciens omnes cogitatus ad honeſti ſtudium deflexerat. Et quibus virtutibus creuerat, ſemper recenti memoria tenens, eisdem Polonam iuuentutem, ad virtutum amorem & famam bonam incitare voluit. Fundauitque in academia Cracouienſi, cuius digniſſimus cancellarius fuit, publicum oratorem, quaſi volens monſtrare, ſe non aliis artibus, quam probitate & eloquentia, hanc in republica, quam habuit dignitatem, fuiſſe adeptum. Quod & ex hac ſtatione euocatus pulcherrimo exemplo comprobauit. Moriens etenim ſic omnium, qui circumſtabant in religione animos grauiſſima oratione confirmauit, ſic omnem miſeriarum mortis opinionem exaudientium pectoribus extirpauit, vt nunc vſque ſe ſe felices arbitrentur, quibus illum & ex ipſa morte concionantem, contigit audire.

STANISLAUS MINSKI

Inter magnos doctosque viros cum aliis virtutibus, tum eloquentiæ laude, promeruit numerum, licet magni doctique viri in Polonia fuerint multi ætate ſua, diſerti vero tantum aliqui. Neſcio enim quomodo facilius eſt, doctum hominem reperire, quam diſertum. Immo non tam in promptu eſt, quod doctrina ſine eloquentia eſſe poteſt, eloquentia vero ſine doctrina, eaque multiplici & varia, eſſe non poteſt, niſi forte loquentem pro eloquente poſuerimus, quo nihil eſt falſius. Stanislaus aſt tamen noſter vtroque clarus fuit, & cum alia ob merita ſenatoriam dignita-

tem titulo palatini Lencicienfis honoratus geffit, tum ob infignem facundiam procancellarii munere ornatus floruit; quod non nifi probatiffimis viris, & dicendi laude confpicuis communiffime conferri folet. Recentiori quoque memoria

LAURENTIUS GEMBICIUS

Quondam Antonii Mureti auditor, in fenatu Polonico, & ecclefiafticorum hominum primas, & regni procerum primus princeps, tam in Latina, quam in materna lingua primus orator audiuit. In vtraque enim pronunciauit dulci & proprio quodam oris fono, eleganti ac fobria vfus eloquentia, fententias ineptas fugiens, & verborum inufitatorum fœtorem, quod valde tum inualuerat, quibusdam militari audacia verba Polonica innouantibus.

CAROLUS CHODKIEVICIUS

A prima ætate virtutum hofpes, voluptatum hoftis, nec minus litterarum ftudio, quam armorum peritia, confpicuus. Cum linguas aliquot externas exactiffime calleret, in perorando, quæcunque illi occurriffet, ita difertus, ita ponderofus fuit, vt fe non cum præfentibus modo, fed cum omnis æui claris viris compararet. In quo ipfo non nihil & forma corporis eum iuuit, non munditiis culta, vt ait Livius, fed virilis & militaris. Infuper & nobilitas fanguinis, & caftrenfis eloquentia. Quæ in genere Iulius Cæfar, Africanus maior, & Pompeius magnus ex Romanis opinatiffimi habentur: ex noftris vero IOANNES TARNOVIUS, IOANNES ZAMOSCIUS, & CAROLUS CHODKIEVICIUS. Cuius res geftas pro patria, proque Chrifti gloria labores, vt hic taceam, enumerare tamen poffem, quibus præliis oratio eius ita militum animos inflammauit, vt periculi omnis immemores, læti etiam & exultantes in ferrum ruerent, quas ingentes exercitus feditiones voce compreflerit, in Livonia, in Mofcovia, in Valachia, quotque armatorum millia tempore diuerfarum turbarum in patria folus, & inermis, oratione terruit, vfque adeo, vt ad nutum perorantis inuenti fint, & qui traditas a fe conditiones reciperent, & qui fponte fine ftipendiis patriam iuuarent, licet confœderati in perniciem illius, qui gemeret & refifteret nemo, nifi & narratio longior & aliis locis opportunior foret.

SIMON RUDNICIUS

Nobiliffimis virtutibus clarus, temperans, placidus, liberalis, litteratus, eloquens & memoria præftantiffima præditus, cum varios honores & officia in aula regia percurriffet, pontificali demum fafce infignitus Varmiæ quieuit, libertate dicendi & facundia fermonis perquam celebris in fenatu.

IOANNES & CHRISTOPHORUS
Duces RADIVILLI

Et fanguinis claritate & rerum pro patria geftarum gloria & ftudio litterarum, atque innata quodammodo eloquentia, ad inuidiam vfque confpicui fratres. Quorum alter iam diem fuum claufit, fenatoria prætexta confpicuus, alter exornat adhuc fæculi noftri gloriam. CHRISTOPHORUS videlicet, polemarchi titulo in magno ducatu Lithuaniæ illuftris, vterque autem tanta litterarum copia præditus, vt incertum diceres, armisne effent, an litteris, clariores. Nati patre NICOLAO exercitu-um fupremo generali, itidem togata & fagata prudentia confpicuô. Inter multa vero, quæ ipfius viri gloriam extollunt, hoc in vltimis poluerim, quod ingenti quadam fuit notitia vetuftatis, ac memoria, vt omnia non domeftica folum, fed etiam externa bella memoria teneret. Cæterum a filiis hac in parte mul-

tis

tis paſſibus ſuperatus: & obſtrepant, vt libet, ac irrideant ceteri duces, qui virtuti bellum ac litteris indixere, negare tamen non poterunt, & regum & principum ornamenta litteras eſſe, diuitias vero & potentiam ſine iis nihil ad immortalitatem conferre. Quam aſſequi volentes hi clariſſimi duces, ea quibus illa paratur, ingenti niſu conati ſunt habere, & doctorum hominum comitatu illuſtres, eam pararunt ſibi nominis exiſtimationem, quæ ſua fortuna digna fuit. Et quamuis IOANNES ita copioſe florentiſſimeque diſſeruerit, vt maximus oratorum haberetur, nihilominus & CHRISTOPHORUS eo prudentiæ aſſiduo exercitio deueniſſe putatur, vt non modo militari facundia cunctos duces vincere poſſit, ſed forenſi etiam ſummos æquare oratores.

LUCAS GORNICIUS

Vulgari eloquio clariſſimus fuit, ſed oratione liberior, quam delicatis ætatis noſtræ dynaſtarum auribus acceptum foret. Quantum tamen facundia valuerit, teſtantur libri ſui de beneficiis prudentiſſime conſcripti, tum Rhetorica Polonica, & Aulicus.

FELIX CRISCIUS

Vir corpore pulcher, lætus animo, ſcientia clarus, glorioſus eloquentia. Tanta cum dignitate cancellarii munus geſſit, vt nihil in eo deſideraretur, præter longæuitatem vitæ. Is lectione librorum adeo delectabatur, vt cum alios auctores ſæpiſſime, tum hiſtoriam Taciti in ſinu portaret, etiam cum in ſenatu eſſet.

ANDREAS TENCINIUS

Vir magnæ ſcientiæ, maximæ eloquentiæ, ſummæque ciuilitatis, & cui, ſi paulo longiorem Deus vitam ſuppeditaſſet, nullus fere in ſenatu par eloquio, par prudentia illi fuiſſet. Licetque plures ex familia iſta & diſerti oratores, & prudentes ſenatores, & rei militaris præclari duces prodiiſſent, neſcio ſi tamen comitum iſtorum aliquis aut acrior ingenio, aut lingua facundior Andrea fuerit.

GEORGIUS & CHRISTOPHORUS ZBARAVII Duces

Honeſti & patriæ amantes fratres ambo, ſed quorum heu CHRISTOPHORUS iam in medio vitæ curſu fatis ereptus, & fratri orbato, vt vltimo familiæ ſuæ ſuperſtiti, cauſam lugendi inopinata ſua morte dedit, & patriæ, quæ eius conſiliis firma ſtabat, non minorem mœrendi occaſionem præbuit, cum in dies poſt eius obitum, minus ei ſimillimos recenſeamus, & quaſi præiuiſſe eum viris bonis viam ad cœlum videamus. Vtinam felicius diutiusque fruituri patrocinio ac vigilantia alterius, qui nec eloquentiæ laude fratre minor eſt, nec auctoritate inferior (vt puta primus ſenator) multique præter ea ac varii & in doctrina & in republica vſus.

STANISLAUS ZORAVINIUS

Vir haud dignitate clarior, quam lingua, quam æque in Latino ac Græco ſermone expeditam habuit: nec plus diſſerendo in aliqua alia exoticarum linguarum difficultatis ſentiebat, quam ſi in vulgari & ſua materna peroraſſet. Sed potiſſimum tamen Græcorum auctorum lectione delectatus, & carmina & orationes eo ſermone faciebat. Ex vtriuſque autem linguæ auctoribus, quos ſtudioſius lectitabat, illa cupidius hauriebat, quæ vel præcepto, vel exemplo, ad eruditionem vitæ morumque elegantiam pertinent, priuatæ vel publicæ diſciplinæ. Hæc & diligenter connotata ſeruabat, & cum res exigeret, illorum interiectione in perorando vti ſolebat.

MATTHIAS SMOGULECIUS

Et proſa & carmine bonus, plurimos in ſodalitio ſuo viros litteratos habuit, quibuscum

buscum continuos ſermones miſcere ſolitus in tantum ſeſe in dicendo exercuerat, vt multis in locis atque conuentibus rei publicæ ſpecimen ingenii ſui declararet. Scripſit & libros variarum & multarum rerum eloquentia vetuſta, quorum omnium clariſſimus eſt liber ille, de exorbitantiis iurium Polonice, deque viris illuſtribus in Polonia. Atque vt vnus locus duos olim impacatos iungat aduerſarios

IACOBUM GORSCIUM & BENEDICTUM HERBESTUM

Hic commemorabo. Supremam eloquii artem inter Academiæ Cracouienſis oratores (quod nullus ex Sarmatis ambigit) poſſidet Gorſcius, proximum tenere videtur Herbeſtus. Horum eſt contentio illa famoſiſſima, qua vniuerſam fere Poloniam compleuerant, ſcriptis contra ſe tot de eloquentia libellis, atque tot celeberrimis diſputationibus peractis. Victus tandem Herbeſtus ad patres Societatis IESU conceſſit, atque inde cœlum virtutibus ſuis petiit. Eodem quoque tempore, aut paulo ſuperiore, aliud par diſſidentium inter ſe oratorum in Polonia floruit

STANISLAUS ORICHOVIUS nimirum & ANDREAS MODREVIUS

Jam autem quod ſpecioſius ſpectaculum incidiſſe poterat, quam in eloquentiſſima natione, duos illa ætate excellentiſſimos oratores, ſuper rebus altiſſimis, notorio & capitali odio diſsidentes, de veritate & certitudine religionis, in vnum ante condictum tempus & locum veniſſe? quid iucundius, quam tot contra ſe diſertisſime conſcriptos libellos legiſſe? Quem enim oratorem Orichovio antepones, etiam ex Italis aut Gallis, apud quos ſtudia antiquiora ſunt, & diligentiori modo tractantur? quis ſententiis aut auctior, aut celebrior illo ex recentioribus ſcriptoribus? quis verbis aut elegantior, aut grauior? quis voce acuta, ardentique motu geſtuque non ſine venuſtate adhibita, in declamando famoſior? vt non ſine merito Demoſthenes Latinus & Cicero Polonicus a peritiſsimis eius artis nuncupetur. Ipſe etiam victus MODREVIUS in ſuo illo libello, cui titulum dedit: ORICHOVIUS, eum diſſertisſimum toties appellauit: ingens, vt ait Plinius, teſtis inimici, & velut Aeſchines quondam Demoſthenis. Meo quidem iudicio, vel ob hoc verus amator eloquentiæ, qui profeſsionis ſuæ potius, quam alieni memor odii, quid laudandum erat, etiam in hoſte, prædicaret, præſertim cum diſsimulare tacereque poſſet.

STANISLAUS SOCOLOVIUS

Regis STEPHANI BATOREI concionator, in alma academia Cracouienſi bonis moribus, bonis artibus imbutus, ibidem ſupremæ ſcientiæ theologiæ profeſſionem multis annis tenuit. Vbi qualiter vixerit, ſciens ſileo, cum & cuncta nobilium ſcriptorum fides, lateque loquax fama vulgauerit & relicta tot librorum præclariſsima monumenta teſtantur. Inter ea vero boni oratoris teſtimonium, poſt tot orationes varias, partitiones eccleſiaſticæ dabunt, vbi ille chriſtiani oratoris præcepta ex omnibus veteribus ſcriptoribus vnum in locum conduxit, & magna conquiſita cura perſpicue conſcripſit, atque denudata diligenter expoſuit.

REINHOLDUS HEIDENSTEINIUS

Nobili loco in Pruſſia natus, nobiliſſimæque dicendi ſcientiæ totus plane deditus, ita de re quapiam copioſe prudenterque diſſeruit, vt & vtilitati delectatio & maieſtati rerum, verborum ſplendor, ac dignitas non deeſſent. Apparet hoc ex commentariis illius de bello Moſcovitico exactiſsime ſcriptis, itemque ex controuerſiis, contra hoſtes ec-

clesiæ

clesiæ factis, aut aliis pôsthumis eius lucubrationibus.

STANISLAO NIEGOSEVIO

Viro facundissimo, inter raras naturæ dotes, etiam miranda vis memoriæ fuit, vt semel perlectos mille versus subito absque vllo errore recitaret, vt testatur Aldus Manutius præceptor suus, qui eum naturæ miraculum appellat, post peractam illam celebrem ex omnibus scientiis disputationem, vbi ille per duas septimanas in DD. Ioannis & Pauli templo, Venetiis, respondebat ad argumenta, diuersorum generum carminibus extemplo. Tam enim exercitati ingenii fuisse creditur, vt versus hexametros, aliosque quosuis, ex improuiso copiose diceret. Quocunque animum linguamque vertisset, nil operosius illi, quam sermo vulgaris aliis solet, huic numeri aderant, & carmina resonabant. Nec imparem illi

IOANNEM COCHANOVIUM

Puto, itidem poetam, sed in suo genere eloquentissimum & velut alterum Maronem, si linguam Polonicam spectes. Quicunque enim operum eius elegantiam, & singulis in verbis lumen aliquod inspexerit, subque nube poetica sententiarum grauidam veritatem, ac diuini stili artificium diligenter considerauerit, fatebitur omnino, doctrina posse aliquos excellere, at ingenio fortasse neminem.

CHRISTOPHORUS VARSEVICIUS

Cum multa disertissime facundissimeque in publico declamasset, & libros innumerabiles variisque de rebus orationes, ac præcipue Turcicas quatuordecim edidisset, tandem Chilonis illius Lacedæmoni dictum, quod in templo Delphici Apollinis scriptum fuit: *nosce te ipsum*, alte animo impressum habens, de sui ipsius cogitatione libros tres pulcherrimos, inter ingenii & stili sui monumenta reliquit, & sane prudenter. Nihil enim tam necessarium, tamque vtile nobis esse potest, quam cognitio sui ipsius, hoc est, vt & cognitos animi defectus reformemus, & in actionibus nostris nosmetipsos metiamur, atque æstimemus acriter, quid quisque animi robore, quid lingua, quid ingenio, quid viribus corporeis valeat? ne scilicet ignarus sui nobilitatem insitam desidia corrumpi sinat, aut vana opinione tumefactus, ridicula corruat audacia. Hæc atque alia multa stilo felicissimo Varsevicius conscripsit, sed hoc ipso infelix fuit, quod sibi sæpissime fortunæ impedimenta properantem calamum auerterent.

SIMON SIMONIDES

Si scriptorum pondus examines, Græco illi Simonidi par, si eloquentiam consideres, tum in prosa, tum in carmine, multis gradibus superior. Nam quemadmodum apud Græcos Homerum, omnis diuitis inuentionis fontem originemque pronunciat Macrobius, sic ego inter Sarmatiæ poetas nostrum Simonidem existimauerim, qui tam perspicaci tamque luminoso animo fuit, vt ei parem ex modernis cuiusuis nationis scriptoribus non videam. Iam autem de eloquentia quid disputem? cum inter illum & Cochanovium, quis superior dicendus sit, inextricabilem controuersiam, inter eruditos videam, dum millibus argumentorum, modo hic, modo ille, superior ostenditur, modo tam pares, vt lectorem iudicii dubium relinquant.

ANDREAS SCHONÆUS

Licet & ipse laurea poetica non sine merito donatus, inter omnes tamen, quas callebat scientias, & quarum se profitebatur esse, doctorem philosophiæ videlicet, iurisprudentiæ & theologiæ, maxime animum oblectabat eloquentiæ studio, quo tantum ætate sua pollebat, vt sibi parem in academia Cracouiensi neminem

minem fere ex collegis paſſus eſt haberi. Et cum plurimas orationes diſertisſime ſcripſiſſet, etiam ſacræ ſcientiæ grauiores difficultates ſtilo exornare aggreſſus erat, ſed vt res humanæ omnes imperfectæ ſunt, opere inexpleto mors calamum fatigatum e manibus rapuit, illeque ipſe alienam dedignatus limam, etiam ea, quæ perfecta ſibi iam videbantur, in lucem dare vetuit.

SIMON HALICIUS

Diſertiſsimum virum Ioannem Picum, conſulem Cracouienſem, & in academia medicinæ profeſſorem puer admiratus totum reliquæ vitæ tempus, vt eum aſſequeretur, in ſtudiis eloquentiæ triuit, & raro vnquam ſane illi dies præteriit, quin aut legeret, aut ſcriberet, aut de litteris cogitaret, aut legentes audiret, aut tacitus ſciſcitaretur. Ex quo tantum in eloquentiæ ſtudio profecerat, vt ſolus a magno illo præſule Petro Tylicio putaretur ſufficere erudiendæ in eloquentia iuuentuti Polonæ, cum ob eam rem perpetuum in academia oratorem fundaſſet. Licet fuerint & antea eius artis non contemnendi profeſſores, ſolentque ſemper ad minus ſeptem aut octo doctores libros Ciceronis præcipuos, aut aliorum veterum oratorum, in collegio maiori prælegere. Nihilominus prudens ille ſenatòr, vnum ex eis peritiorem dicendi voluit a ſuo cognomine Tylicianum oratorem nuncupari, qui pinguiore congiario honoratus, vellet ita in hac nobiliſsima facultate ſe exercere, & cum potiſſimarum quarumuis gentium ſcriptoribus ingenio & eloquentia certare auderet. Igitur omitto hic viri huius ſanctitatem vitæ, omitto eius ſtrictiſsima ieiunia, diſciplinas, cilicia, orationem, prædicationes ad populum, corporis & animi caſtitatem, eleemoſinas, aliaque exercitia pietatis, cum ſint fortaſſe, qui hæc feliciori calamo deſcribere haud grauabuntur peculiari libello, hoc ſolum attingam, quia de oratoribus nobis ſermo eſt, quod ex eius diſciplina, tanquam ex equo Troiano ſacerdotes deuotisſimi & philoſophi ſubtiliſſimi & diſertisſimi oratores infiniti pæne & breui tempore prodierint.

STANISLAUS KRISTANOVICIUS & STANISLAUS MONDROVICIUS

Inter Leopolienſes eloquio clarisſimi, & honoribus prudenter geſtis, primi. Nam is conſulari prærogatiua in patria ſua clarus, etiam dicenda ſententia inter collegas floruit. Ille ſindicatus officio in aula regia notus, cauſarum quoque actione celebris fuit. Vterque autem & Græcæ linguæ peritia, & monimentis ad poſteritatem transmiſsis inſignem inter Sarmatas gloriam eſt aſſecutus. Magis tamen iſte præceptis abundare videtur, vt iudicio & ætate prouectior, ille floſculis verborum & ſuada iucundiore. Vt autem breuibus, quid inter illos diſcriminis fuerit, explicem, equidem & Mondrovicium exiſtimo, ſi genus forenſe dicendi tractare voluiſſet, ornate ſplendideque ac grauisſime & copioſisſime potuiſſet dicere, & Kriſtanovicium, ſi illa, quæ a Mondrovicio didicerat, tenuiſſet & pronunciare voluiſſet, ornate ſplendideque facere potuiſſe.

BASILIUS GOLINIUS

Inter claros Rhetores, quos alma vniuerſitas Cracouienſis protulit, haud infimum locum ſolitus, illo præſertim tempore, quo Stanislaus Grembſcius, Adamus Romerius, Ioannes Clobucius, Martinus Plocenſis, aliique plurimi diſertisſimi viri floruerunt. Quin imo nunc etiam ſub decrepitam ætatem, cum maxime fugere doctrinam ſolet animus mortalium, tunc acrius inardeſcens cupiditate diſcendi, a iunioribus ſuperari indignum putauit. Qui in loca præceptorum demortuo-

mortuorum vocati, cum aliis virtutibus, tum eloquentiae laude pares antecessoribus suis esse contendunt, vt non minus, quam illi, apud posteros gloriosi fiant. Et sane recte, agentem enim virtuose gloria non deserit, sed vel inuitum sequitur, velut corpus vmbra. Ast qui veram gloriam tollit, virtutem ipsam sustulerit, necesse est, qua sublata, relinquitur vita hominum nuda, & mutis animalibus simillima. Hanc noster Basilius contemplatus, & complures e sua disciplina eruditissimos ac simul eloquentissimos viros idem sentire videns, Ioannem videlicet Praeclaidem, Adamum Opatovium, Ioannem Rybovicium, Iacobum Vstiensem, Ioannem Mierni-covium, Adamum Stephanidem, aliosque iuniores, tum in scholis, tum in concionibus regnare, diuersaque argumenta stilo felicissimo tractare, tanto ardentius senicalus, grauissimorum auctorum lectioni incubuit, & trium linguarum, Graecae, Hebraicae & Latinae mirabili facundia praeditus, librum, quem Suadam oratoriam inscripsit, elucubratum reliquit, praeclarum nempe rarumque opus & egregium, vt hic taceam alia opuscula illius, prosa & carmine scripta, quae eum immortalem genium habuisse testantur. Hujus autem tam vehementis studii & tam copiosae doctrinae fructum, venerationem quandam singularem viuens moriensque percepit, & dignitatibus ecclesiasticis honoratus, inter Sarmaticos rhetores, omnium iudicio, primum locum obtinuit.

VALENTINVS FABRICIVS

E Societate Iesu, concionator regius, adeo eloquio potens, vt, quod de Pericle Cicero dixit, quod cum ei comici maledixerant, leporem tamen melle dulciorem in labris eius esse dixerunt, tantamque in eo vim fuisse, vt in eorum mentibus, qui illum audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret; hoc de illo dici iure merito possit. Cum enim aduersus omnium mores diceret, maximeque Politicorum modernorum fraudes aulaeque technas redargueret, cum delectatione tamen ab omnibus audiretur. Neque enim solum vulgus dulcedine captum deludebat, sed proceres & ingeniosos viros obtrectantes in reliquis ad confessionem eloquentiae coegit. Non absimilis illi &

PETRVS SCARGA

Fuit, ex eadem societate, paulo ante illum theologus & ecclesiastes regius, sed hoc ipso felicior, quod praeter conciones, quas cum stupore omnium & admiratione ex ambona declamabat, etiam complures alios libros, non tantum doctissime, sed etiam disertissime conscripserit, in historiis, in controuersiis, apologiis & orationibus diuersis. Vnde Chrysologus non immerito a Fabiano Bircovio, suo encomiaste in oratione funebri est appellatus, quem etiam statim illi subiungo.

FABIANVS BIRCOVIUS

Et Latinis & Polonicis oratoribus in lucem datis clarus orator, quas cum voluptate singulari audientium in publico recitare solitus erat. Primum quidem Cracoviae in augustissima SS. Trinitatis aede annis quatuordecim concionator, postea in aula serenissimi principis Vladislai, alterum tantum ecclesiastes, cum antea etiam in academia Cracouiensi professor, de variis rebus & disseruisset copiosissime, & vt vtilitati delectatio, & maiestati rerum, verborum splendor ac dignitas non deessent.

Cæterum quia nescio quomodo sese obtulit occasio faciendi mentionem etiam eorum, qui supersunt adhuc & exornant nostri gloriam, ea propter aliquos hic illustriores oratores commemorabo, quamuis æquanimius pati possunt homines, si quis viuum vituperasset, extinctumque laudasset, quod tum mors omnem inuidiam atque odium, vel extinguere, vel lenire soleat: nihilominus tamen, quia virtus semper laude sua digna est, imo etiam crescat laudata, lubet inserere nonnullos incolumes adhuc & florentes, & quasi columnas patriæ, atque in primis

EUSTACHIVM VOLOVICIVM

Episcopum Vilnensem, humanitate, prudentia, multarumque rerum ac artium notitia, ita bene excultum, vt paucos sedes illa pares sibi pontifices habuerit, eaque morum maiestate, vt plurimos superet, eloquentia vero tanta, vt inter primores patruos, non postremum locum, sed principaliorem etiam perennem censeatur habere. Taceo hic cultum sacrorum, studium antiquitatis, patriæ amorem, aliasque heroicas suas virtutes, quas seria annalium commendatio aliquando recensebit. Hic sufficit, facundiam linguæ & rerum tractandarum peritiam in tam magno Senatore venerari, & eum inter modernos Sarmatiæ nostræ oratores principalem locum habere, & quod non postremæ laudis est, viros litteratos magnopere amare. Iam vero nihil æque eruditos homines allicit, quam principum virorum familiaritas atque dignatio, quæ sane virtus in patria nostra hac tempestate valde rarenter reperitur. Nec tacebo certe

ANDREAM LIPSCIUM

Cancellarii munere, pontificali tiara, ingenio perspicaci, & iuris peritia exactissima illustrem, qui, vt primum ad rempublicam, tractationemque eius accessit, a sacris ad ciuilem sermonis elegantiam comparandam omne studium transtulit, in quo diligentissime versatus, ornauit scriptis suis doctrinam illam & illustrauit sufficientissime, omnemque rerum cogitationem cum orationis exercitatione coniunxit, atque sic in senatu frequentius sententia sua aliis viam præire visus est.

CHRISTOPHORUS VESOLOVIUS

Insignis ingenio & eloquio, ad eum, quem adeptus est in republica dignitatis gradum, cum aliis clarissimis virtutibus, quarum tam in sago, quam in toga, specimen non exiguum dedit, tum bonarum artium peritia & studio bene dicendi peruenit, quibus pulcherrimas duas qualitates, moderationem nimirum & benegnitatem coniungens, atque iis potissimum omnem vitam exornatam ducens, cunctis se charum & venerandum præbet. Præter ea magnanimus, prudens, alti consilii, orisque ita rotundi, vt inter melioris notæ oratores, merito ab omnibus reputetur. Ex equestri vero ordine.

IACOBUS SOBIESKI

Adeo hac nostra tempestate eloquentiæ laude pollet, vt primus oratorum in Polonia habeatur, non a conciuibus modo suis pro merito laudatus, sed ab externis quoque & peritissimis huius artis professoribus, sub quibus olim ipse, Europam peruagatus, bonis artibus operam

tam dederat. In comitiis vero nostris generalibus, vbi omnis eloquentiæ palæstra esse censetur, omnium auditis orationibus, sine vlla dubitatione sic statuo & iudico, neminem omnium, tot & tanta, quanta sint in illo, habuisse ornamenta dicendi. Et quia commune est, vt eloquentiæ studiosi sæpe sint ad actum tardiores, & qui res magnas agunt, sint incultiores eloquio: Ille solus ex pluribus adeo strenuus hac in parte, atque felix est, vt & reipublicæ tam ciuilia, quam bellica negotia grauissima quæque absque omni molestia & perturbatione tractet, & amicorum necessitatibus ita dexterrime consulat, & quæ sunt agenda exequatur, quemadmodum & disserit de qualibet re facillime & luculentissime. Huic comitem do

IOANN. CAROLVM de CONOPATI

Virum peritum litterarum & multarum linguarum, adeoque in eis versatum & eloquentem, vt æque qualibet illarum, quam materna, disserere valeat, sed Latina potissimum facundus disertusque habeatur. Quod & hac sola præcipue oblectetur, resque sui temporis principaliores connotare, aut a veteribus scriptoribus connotatas diligenti studio legere soleat, & Sallustianum illud sæpius mente reuoluens, eum tantummodo viuere & frui anima censeat, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ, famam quærit. Cum autem aliarum linguarum oratores non æque sint clari, quam aut Græci aut Latini: quin imo ipsi scriptores Latini tantum his temporibus floreant. Idcirco huic soli deditus, in ea excellere beneque dicere haud absurdum ratus est, & ingenii potius, quam virium opibus, gloriam quærere. Tantis præsertim dotibus instructus, vt eius animo nihil ingenio acrius, nihil iudicio grauius, nihil conuersatione suauius. Et cui adest præter ea naturale malarum rerum odium, amor & cultus virtutum, bonæ famæ pulchra cupiditas, honesti decorique studium, tum ætas adhuc viuens, & animus ad magnas res audendas aggrediendasque sufficiens. Persimilis illi putatur.

STEPHANVS PAC

Vir & ipse raris annumerandus, in primis vero eloquio potens ac morum suauitate carus. Nec desunt illi fortunæ aut corporis bona, quæ oratorem, imo omnem virtutem exornant, & quasi iucundiorem reddunt, sed quarum ille vsum tantum, non amorem habet, Romani scriptoris monitum habens, qui diuitiarum, & formæ gloriam, fluxam atque fragilem esse dixit, solam autem virtutem claram atque æternam. Vnde nec

GEORGIUM OSSOLINIUM

Silebo, cui legendi dulcis ardor inest, intelligendi memorandique naturalis facultas studio aucta peruigili, & ex his eloquendi vis ingens, multo exercitio nata & perfecta. Nec

PETRVM ZERONINVM, TRZEBINIVM, KAZANOVIVM, aut ZEGOCIVM

Transibo, cum dicendi suauitate conspicuos, tum in conspiciendis libris antiquorum ingeniorum fragrantiam redolentibus adeo curiosos, vt etiam importune ab amicis illos habentibus, exigant. Iam autem

PAVLVS DZIALINIVS

Quantum inter reliquos consilio, quantum dicendi grauitate & copia valebat, monstrant hoc, cum aliæ lucubrationes suæ, tum orationum egregius ille libellus, quo palam ostendit, se non, vt alios mortales, ventri atque somno deditos, vitam silentio transegisse, sed memoriam sui etiam apud posteros immortalem, ingenii monimentis effecisse.

ABRAHAMUS BZOVIUS

An sit inter claros oratores connumerandus, cum historici officium habeat, & nec huic rei, ne dicam illi, ab inuidis obtrectatoribus idoneus esse dicatur, dubitarem profecto, si tot volumina orationum suarum, grauissimo genere dicendi conscriptarum, non legissem, aut in annalibus, quos perficit, diligentiam singularem, fidem, elegantiamque non inuenissem, & vbi rerum claritas stilo etiam illustratur. Sed re vera operosa ac difficilis res est fama, & præcipue litterarum, omnes in eam vigiles atque armati sunt, etiam qui sperare illam nequeunt, habentibus nituntur eripere. Habendus itaque calamus semper in manibus, intento animo, erectisque auribus in acie standum, & vel crepantibus præ inuidia detractoribus monstrandum; adeo eum ab eruditis inter selectos æui nostri scriptores, recenseri, vt inter optimos illi locum fidenter tribuant, meritoque dicant, quod de M. Varrone scriptum nonnulli reliquerunt, eum tam multa legisse, vt aliquid ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsisse, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus. Subiungo illi quatuor ex academia Cracouiensi hodiernos oratores.

IOANNEM PETRICIUM, IACOBUM NEUMANNUM, IACOBUM VITELLIUM & LAURENTIUM SMIESCOVIUM

Omnes ingenio & peritia scientiarum claros, & non in patria solum dicendi gloria conspicuos, sed apud exteros etiam scriptis pulcherrimis editis optime notos. Sed quia constat quosdam in scribendo graues, parum vehementer in loquendo esse, quosdam ex diuerso, qui omne scribendi studium auctoritate frontis, motuque corporis elegantia, claraque & pro qualitate rerum volubili pronunciatione transcendant. Quo nihil in oratione potentius norunt, qui artis oratoriæ præcepta didicerunt. Illorum gloriam minuit præsentia, horum auget: illos legi præstat, hos audiri. Inter illos igitur censentur esse Neumannus & Vitellius, posteriorum laudem merentur Petricius & Smiescovius.

Vt autem hic taceam PIECARSCIUM & ZABRESCIUM, diuinissimos Dominicanæ familiæ oratores: itemque Societatis Iesu suauissimum concionatorem MATTHÆUM BEMBUM, aut e venerabili collegio reuerendorum canonicorum Cracouiensium virum facundissimum & diuinorum mysteriorum prædicatorem celeberrimum, IACOBUM OSTROVIUM. Vnicum tantummodo sæculi & orbis nostri Sarmatici decus, SEBASTIANUM NUCERINUM, lubens libensque commemorabo, & statim concludam, non vt raras virtutes eius, quibus explicandis impar sum, aliis postponere videar, sed vt fortissimum athletam in extremo etiam agmine, qui fidenter claudat cohortem, habeam, eumque tam de litteris, quam ecclesia Dei optime meritum, velut Nazianzenum alterum, verbi diuini modernis præconibus Chiliarcham constituam, vi-

rum

um, cuius in eloquendo vehementiam & stili subtilitatem, ne tota quidem Polonia satis demirari potest.

Et quia in rerum ciuilium studio, inque numero litteratorum, principalem locum iurisconsulti tenent, vtilissimi semper reipublicæ, si iuris notitiæ, iustitiæ quoque amor & cultus accesserit, & sint, vt Cicero ait, non magis iuris consulti, quam iustitiæ. Idcirco omissis hic rabulis illis forensibus, qui ius atque iustitiam, quam profitentur, oppugnant, professionis suæ nomine prorsus indigni, vel vulgi commercio & vulgari negotio victum sibi quærunt, vel ad lubricos honorum gradus, populorum ventosis suffragiis aspirant, & quibus (quæ ingens his temporibus in Polonia turba est) litteræ, non animi lux, atque oblectatio visæ sunt, sed instrumenta diuitiarum. Potuissem hic multos viros bonos & dicendi gloria illustres commemorare, puta Gnatovios illos, Crencievios, Prilepscios, Bresinios, Suchoratscios, Lisovios, Zidovios, qui cum rerum memoria, tum facilitate sermonis capiebant homines, causas in Parlamentis, aut comitiis Regni, agendo, quorum plerique etiam declamationes suas longe disertissimas prælo ediderunt, inter quas principaliorem locum tenent Nificii orationes, & actiones Reczcii in Zborovium. Sed quia horum talium alio loco commodior mentio fiet, & hic tantummodo viros eloquentia summos enumerare animus fuit: ea propter fatigatum lectorem recreare volens, vt inter seria & grauia respirandi locum inueniat, adiungam hic nonnullos, qui inter loquendum, non tantum diserti fuere, sed etiam iucundi & faceti, & quales apud Græcos memorantur Alcibiades, Cimon, Themistocles, aliique plurimi, viri magni & eruditi, apud Latinos Augustus, Vespasianus, Antonius, cæterique vel consules, vel imperatores Romanorum, ex recentioribus vero Alfonsus, Rex Aragoniæ, & Robertus, Rex Siciliæ, Franciscus primus Rex Galliæ, tum alii principes, aut philosophi, ex quorum dictis epiphonematum, apophtegmatum, seu dictorum acutorum, diuersi libelli a diuersis auctoribus sunt confecti. Scripseruntque talia etiam ex nostris nonnulli, vti Io. Lochanovius, Sebastianus Acernus, Morstinius, Skrauscius, Rey, Lubomirscius, Zoravinius, aliique complures, non disertissimi tantum, sed lepidissimi etiam iucundissimique cauillatores, qui epigrammatum, atque epistolarum libros, facetissima grauitate conditos, vel prosa, vel carmine, ediderunt. Sed &

IOANNES VORONECIUS

Prætereundus non est, qui inter dicaces, tales autem apud nos lingua vulgari aulici vocantur, principalem locum ætate sua videbatur obtinere, & ingenio eloquentiaque potens, solitus facetias interdum, illustresque verborum iocos miscere, quibus secundum loca & tempora audientium sibi fauorem conciliabat, opinione quadam agilis & iucundæ prudentiæ. Multa in hodiernum vsque memorantur ab illo caute prolata, quorum alia scriptis sunt tradita, alia vulgi tantum sermonibus celebrantur, alia vero iam obliuioni tradita. Mortalia namque esse decet, quæcunque labor mortalis inani edidit ingenio.

MISCOVII quoque, Castellani Lublinensis, inter disertos facetosque multa tam grauiter, tamque magnifice dicta sunt, vt e mediis philosophiæ fontibus eruta, videantur. Qualia sunt innumerabilia fere in sermone vulgari ab illo prolata, & a viris litteratis connotata, vt mirari nos legendo cogat, & subsistere, repetitique verbi laudare sententiam,

tentiam, acumen, ornatum, vim, sonum, magnificentiam, breuitatem denique, vel in silentio fateri, nihil de tali re melius, nihil verius, nihil sapientius, nihil elegantius etiam a Latinis, a Graecis, dici potuisse. Est enim adeo lingua nostra Polonica ad sales proferendos, & scommata facienda facilis, vt nesciam, an aliqua alia possit quidpiam acutius dici.

MARCUS & SEBASTIANUS SOBIESCII

Et meritis & honoribus in republica clari germani fratres, saepius inter loquendum iocos miscere soliti, scommataque egregia, vel, vt Macrobius vult, morsus figuratos, fraude vel vrbanitate tectos, cum iucunditate audientium prolatos. Fuisse vtrumque tamen studio, & ingenio & doctrina praestantem omnibus, tum in suo genere perfectum, vt neque in Marco deesset ornatus orationis, neque in Sebastiano redundaret.

IOANNES OSTROROGIUS

Etiam dulci eloquentia praeditus, interdum iocis haud inurbanis, aures fatigatas mulcens, moestum animum exhilarare solitus erat. Nam vt in cogitationibus atque actibus humanis, sic & in verbis seriis contracta fatigatio iocorum vicissitudine mitigatur. Igitur ab adolescentia iocatus caeteris naturae dotibus, morum videlicet, humanitatis, elegantiaeque etiam, comitatem sermonis adiunctam habuit, atque amicitiis felix, totam aetatem iucundissime traduxit.

PAULUS PIASCOVIUS

Itidem aetate nostra gratissimae dicacitatis homo fuit, & magno illi Ioanni Zamoscio adhaerens, secretorum omnium conscius, inter militares viros non minus fortitudine, quam eloquentia, pollebat, cauillator in primis iucundissimus. Perquam similis illi, IOANNES TIMINSKI, Caroli Chodkiericii miles, fuit, & cui prorsus multae facetiae, multusque lepos inerat. In castris etenim atque in aulis principum communissime tales viri reperiuntur, quod & nobilitas ibi multa sit, & occasio dicendi, praesertim in libero populo, plurima.

PETRUS denique SMOLIK (namque omnes enumerare longum) in huiusmodi dicacitate haud postremam locum nactus inter Sarmatas, non videtur etiam extraneis ingeniis inferior esse, si quis vellet dicta sua omnia Latino idiomate, ita vt in se sonant, exprimere. Et quamuis non labor inter eloquentiae principes ipsum collocare, quantum ad iocos tamen & facetias, eamque, qua apud megistanes pollet facundia & gratia, haud inglorius credo apud posteros quoque erit. Nam vt bene facere reipublicae, ita & bene dicere non absurdum esse Sallustius putauit, quod hac sola videlicet parte, & a brutis animalibus differamus, & inter homines memoriam nostri longissimam efficiamus.

Et haec de claris Sarmatiae nostrae oratoribus, qui studio eloquentiae dediti, egregia ingenii facinora reliquerunt, immortalemque sibi gloriam dicendo compararunt. Reliqua diligens lector ex historiis, aut aliis nostrorum scriptorum libris facillime indagabit.

Breuis

Brevis SIMONIS STAROVOLSCII, eiusque operum notitia, ex Illustrissimi & Reverendissimi IOSEPHI ANDREÆ Comitis ZAŁUSCII Supremi Regni Poloniæ Referendarii, *Bibliotheca Scriptorum Polonorum*, deprompta.

SIMON STAROVOLSCIUS, ortus est ex pervetere ac præclara LODZIARUM familia, quæ navis piscatoriæ gerit insigne. Puer domi omnes eas artes didicit, quibus prima ætas institui atque erudiri solet. Profectus deinde Cracouiam, doctissimis tunc hominibus, & litterarum studiis affluentem, grauioribus disciplinis operam dedit. Relicta vrbe, a IOANNE GOSTOMSCIO, Ordinis Cisterciensis, Abbate Vanchocensi conductus, in eo cœnobio fratres religiosos iuniores, cum philosophiam, tum theologiam edocuit. Exinde a Ioanne CAROLO CHODKIEVICIO, exercitus Lituani imperatore euocatus, ei fuit a scribendis epistolis, & notandis rebus præclare gestis. Defuncto eo, Germaniam, Italiam, Galliam & Belgium, capiendæ melioris cultiorisque doctrinæ causa, perlustrauit. Redux ALEXANDRO KONIECPOLSCIO, Castellani Cracouiensis, summique copiarum Polonarum ducis, filio, studiorum eius moderator, morumque custos honorarius fuit additus. Denique sacris initiatus ordinibus, insigne Tarnouiensis ecclesiæ sacerdotium obtinuit. Postremo Cracouiensis Canonici dignitatem est adeptus. Summo ingenio fuit, & eleganti eruditione, studioque in rempublicam & religionem plane admirabili. Quocirca a principibus viris, præmiis donatus est, atque in deliciis habitus. Dilectus maxime est a PETRO GEMBICIO, Antistite Cracouiensi, qui CAROLO GUSTAVO, Sueciæ Rege Polonum regnum armis occupante, Ecclesiam sibi concreditam, STAROVOLSCII fidei commisit. Res digna memoria est, quam VESPASIANUS a Kochov KOCHOWSKI, auctor grauissimus, in annalium Poloniæ climactere secundo, p. 57. his refert verbis: Ingressus arcem Cracouiensem CAROLUS, Basilicam quoque D. STANISLAI Cathedralem inuisit, vtique videndi curiositate ductus, non religione. Qui manu ducebat, SIMON STAROWOLSKI erat, Canonicus tum Cracouiensis, probum & eruditum caput, spectatu digniora antiquitatis monumenta, Regi exquirenti ostendens, sed præcipue sepulcra Regum Polonorum, cum breui cuiusque eloquio, historiarum ipse peritissimus. Sors, an ordo fecit, vt ad monumentum VLADISLAI LOCTICI veniretur; *Hic Rex*, inquit STAROVOLSCIUS, *ter regno pulsus, ter idem recuperavit*, cui CAROLUS: *at* CASIMIRUS *vester, semel exactus, haud amplius recuperare amissum quibit*. Tum senex, seu fatidico spiritu, seu extremo iam senio liber. *Quis scit? nam & Deus potens est, & fortuna variabilis.* Perstrictus responso Rex, curiositati suæ, & sermoni manu ducentis finem, alio diuertens imposuit; donec peragrat templum capite intecto, & quidquid STAROVOLSCIUS narraret, attentissime auscultans. Mortuus est autem STAROVOLSCIUS Aprili mense, eius anni, qui fuit post C. N. quinquagesimus sextus, supra mille & sexcentos. Patet hoc ex panegyrico, quem FRANCISCUS VOLSCIUS, Ordinis Fratrum minorum reformatorum, in cœnobio Cracouiensi ecclesiastes, STAROVOLSCIO lingua vernacula dixit. Ex quo facile agnosces errorem PETRI HYACINTHI PRUSCII,

in elogiis Polonorum, sanctimonia & doctrina illustrium, patrio sermone editis, p. 304. mortem STAROVOLSCII in annum MDCLVIII. reiicientis; cuius auctoritate deceptus Achates noster, perillustris & admodum Reverendus IOANNES DANIEL JANOZKIUS, in der Nachricht von raren polnischen Büchern, Part. I. 59. eundem annum STAROVOLSCIO fatalem perhibuit. Hic STAROVOLSCIUS complura, variaeque eruditionis volumina reliquit. In Bibliotheca nostra, sequentia seruantur.

SERMONE LATINO.

I.

Simonis Starovolsci, de rebus Sigismundi Primi, Poloniarum Regis invictissimi, virtute & auspicio gestis, Libri quatuor. Cracoviae. In Officina Lazari, Matth. Andreoviensis excudebat. Anno 1616. 4. *Hicce liber omnium a Starovolscio editorum est rarissimus.*

II.

Eucharisticon, Illustrissimo ac Reuerendiss. Domino, D. Martino Szyszkowski, Episcopo Cracouien. Duci Seuerien. Cancellario Academiae Cracou. Amplissimo. A Simone Starovolscio factum dicatumque. In primo Episcopatus sui ingressu. Cracouiae, in Officina Lazari, apud Matthiam Andreouiensem. Anno D. 1617. 4.

III.

Simonis Starovolsci Penu Historicum, seu, de dextra & fructuosa ratione historias legendi, commentarius. Permissu Superiorum. Cum Priuilegio. Venetiis. MDCXX. Apud Haeredem Damiani Zenarii. 8. mai. *Editio rarissima.*

Editio secunda, ab ipso auctore recognita & aucta. Romae, expensis Io. Baptistae, & Josephi Corui. Typis Ignatii de Lazaris. MDCLIII. Superiorum permissu. 12. *Haec editio quoque perrara.*

IV.

Simonis Starovolsci mellifluus Bernardus, seu de laudibus & vita melliflui ecclesiae Doctoris. D. Bernardi, Oratio. Cracouiae in Officina Matthiae Andreouiensis, Anno D. 1622. 8. *Liber rarissimus.*

V.

Simonis Starovolsci Oratio, in obitum magnanimi Herois, D. Io. Caroli Chodkieuici, Comitis in Szklow, Mysza & Bychow, Palatini Vilnensis, Capitanei Derbatensis, Lubosanensis, Velonens. &c. Supremi Magni Ducatus Lituaniae, & ad bellum Turcicum, Regni Poloniae Exercituum Generalis, nec non terrae Liuoniae Gubernatoris. Cracouiae. In Officina Typogr. Matthiae Andreouiensis. Anno D. 1622. 4.

VI.

Simonis Starovolsci Camaldula Argentini, siue de laudibus inclyti Camaldulensis Ordinis, FF. Eremitarum prope Cracouiam, in monte argenteo, Orationes IV. Cracouiae. In Officina Typogr. Matthiae Andreouiensis. Anno D. 1623. 4.

Editio secunda. Cui addita est laudatio funebris Nicolai Volscii, Fundatoris illorum Camaldulensium. Cracouiae. In Officina Francisci Caesarii. Anno 1650. 12.

VII.

Simonis Starovolsci, centum Scriptorum Polonicorum Illustrium Elogia et Vitae. Francoforti. Sumptibus Jacobi de Zetter. Anno 1625. 4. *Editio admodum rara.*

Editio secunda. Permissu Superiorum, & Priuilegio. Venetiis M. DCXXVII. Apud Haeredes Damiani Zena-

Zenarii 4. mai. *Editio optima eaque rarissima.*

Editio noua. Wratislauiæ MDCC. XXXIV. apud Joannem Jacobum Kornium.

VIII.

Simonis Starovolsci: de claris Oratoribus Sarmatiæ. Florentiæ. Ex Typographia Zenobii Pignorii. Superiorum permissu. 1628. 4.

Editio noua cum præfatione Laur. Mizleri de Kolof, Regni Pol. Historiographi & Medici Varsauiensis. Varsauiæ A. MDCCLVIII. Ex typographia Mizleriana.

IX.

Simonis Starovolsci Eques Polonus. Venetiis MDCXXVIII. apud Franciscum Baba. 8. mai. *Inter nitidissima & rarissima Starovolscii opuscula est numerandus.*

X.

Laudatio funebris, piæ & felici memoriæ Illustris: quondam viri D. Nicolai de Podhayce Wolski, Supremi Regni Poloniæ Marschalci, Creprcensisque, Olstinensis, Odolanoviensis, atque Rabstinensis Præfecti. A Simone Starovolscio dedicata. Anno Domini, MDC. XXX. Cracouiæ, in Officina Typ. Mathiæ Andreouiensis. 4.

XI.

In obitum Serenissimi piissimique Principis Sigismundi III. Poloniæ & Sueciæ magni Regis, SIMONIS STAROVOLSCII oratio. Antuerpiæ Ex Officina Plantiniana Balthasaris Moreti. MDC. XXXII. fol.

XII.

Simonis Starovolsci, Sarmatiæ Bellatores, Coloniæ Agrippinæ. apud Henricum Crithium sub signo Galli. Anno MDCXXXI. 4. *Editio perelegans & admodum rara.*

Editio noua Wratislauiæ. MDCC. XXXIV. apud Joannem Jacobum Kornium 4.

XIII.

Simonis Starovolscii, Declamatio contra obtrectatores Poloniæ. Cracouiæ. In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis. Anno MDCXXXI. 4. *Liber rarissimus.*

XIV.

Simonis Starovolsci, Polonia. Coloniæ. apud Henricum Crithium. Anno MDCXXXII. 16.

Denuo recognita & aucta. Dantisci, Sumptibus Georgii Forsteri, S. R. M. Bibliopolæ, MDCLII. Cum Priuilegio S. R. M. 16.

Tertia Editio. Cui accesserunt Tabulæ Geographicæ, & index rerum locupletissimus. Cum Præfatione Hermani Conringii. Welferbyti. Sumptibus Conradi Bunonis. Anno MDC. LVI. 4. *Editio optima eaque rarissima.*

Editio noua. Wratislauiæ. MDCC. XXXIV. apud Joannem Jacobum Kornium. 4. *Hic liber omnium a Starovolscio editorum, optimus, summaque diligentia & nitide admodum scriptus.*

XV.

Simonis Starovolsci, Accessus ad iuris vtriusque cognitionem. Diuisus in quatuor breuissimos tractatus. Quorum primus est; de iure in communi; secundus de iustitia & iniustitia; tertius de iure ciuili, quartus de iure canonico. Primum Romæ, typis Vaticanis MDC. XXXIII. deinde Cracouiæ, typis Matthiæ Andreouiensis. Anno Domini M. DCXXXIV. Superiorum permissu. 12. *Romana editio rarissima.*

XVI.

Simonis Starovolsci panegyricus, Serenissimo atque potentissimo Principi, Vladislao Sigismundo, ob virtutem omnium

mnium votis acclamato Polonorum Regi, ob iura hæreditatis legitimo Suecorum Monarchæ, ob regiam indolem electo magno Moſcorum Duci, ob adnatam felicitatem bellicoſiſſimorum in Aquilone populorum Gothorum, Vandalorum, atque Sarmatarum Imperatori, inclyto, pio, felici, augusto, bono orbis Chriſtiani nato, conſecratus. Antuerpiæ, ex Officina Plantiniana Balthaſaris Moreti. MDCXXXIII. fol. *Hic panegyricus inuentu difficillimus.*

XVII.

Simonis Starovolſci, lachrymæ in obitum Sereniſſimi Alexandri Caſimiri, Poloniæ, & Sueciæ Principis. Cracouiæ. in Officina Matthiæ Andreouienſis. Anno MDCXXXIV. fol.

XVIII.

Simonis Starovolſci, oratio de glorioſa Aſſumptione auguſtæ Dei Genitricis Mariæ. Cracouiæ. in Officina Typogr. Matthiæ Andreouienſis. Anno MDC. XXXVIII. fol.

XIX.

Simonis Starovolſci, commentarius in IV. Libros inſtitutionum iuris ciuilis. Cracouiæ. Typis Franciſci Cæſarii. Anno Domini, MDCXXXVIII. 8. *Liber rarus.*

XX.

Elogium funebre magni olim Senatoris, Thomæ Zamoſcii Sarii, ſupremi Regni Poloniæ Cancellarii, Kniſienſis, Rabſtinenſis, Socalienſis, Neoſoriens: Præfecti. Cracouienſisque Satrapiæ Prætoris. A Simone Starovolſcio ſcriptum. in Officina typographica Academiæ Zamoſc. imprimebat Andreas Jaſtrzembſki Anno Domini MDCXXXVIII. fol.

XXI.

Simonis Starovolſci, laudatio almæ Academiæ Cracouienſis. Cracouiæ. in Officina Chriſtophori Schedelii S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXXXIX. fol. *Liber rariſſimus.*

XXII.

Simonis Starovolſcii, veſtis Mariana, ſeu oratio, ſacrum Reginæ cæli habitum, vulgo ſcapulare dictum, deſcribens. Cracouiæ, in Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXXXX. fol.

Editio ſecunda. Romæ. Ex Typographia Andreæ Phæi. MDCXLVI. Superiorum permiſſu. 16.

XXIII.

Simonis Starovolſci, inſtitutorum rei militaris, Libri VIII. Quorum I. Generalem belli deſcriptionem continet. II. Ducis qualitates, & officia comprehendit. III. Delatum militum, diſciplinamque eorum edocet. IV. Claſſicum ſonat, & acies inſtruit. V. Nauale prælium deſcribit. VI. Solertia Ducum facta oſtendit. VII. Subruendarum, atque defendendarum urbium rationes monſtrat. VIII. Dubia nonnulla ad militarem prudentiam ſpectantia reſoluit. Cracouiæ. in Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXXXX. fol. *Editio rara.*

Editio ſecunda. Florentiæ. MDC. XLVI. Superiorum permiſſu. Sumptibus Ioannis Baptiſtæ & Ioſephi Corvi, Bibliopolarum Romæ. 8. *Editio rariſſima.*

XXIV.

Vita & miracula ſervi Dei, Vincentii Kadlubkonis, Simone Starovolſcio ſcriptore. Cracouiæ, in Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typ. Anno Domini, MDCXLII. 4. *Inter rariſſima Starovolſcii ſcripta referendum.* Krauſe *in præfat. ad Dlugoſſi Tom. II. p. 18. vocat librum nuſpiam apud nos reperiendum. vid. eiusdem umſtändliche Bü-*

cher

cher Historie. part. II. p. 303. confer etiam Götzens Merkwürdigkeiten der Königl. Biblioth. zu Dresden, Tom. III. p. 136.

XXV.

Magni Antistitis, Iacobi Zadzicii, elogium & vita, a Simone Starovolscio conscripta. Craconiæ. in Officina typographica. Francisci Cæsarii. Anno M. DCXLIV. 4. *Liber rarus.*

XXVI.

Simonis Starovolsci, ad Principes christianos, de pace inter se componenda, belloque Turcis inferendo, protrepticon. Prodiit Gedani circa annum MDCXLV. absque ulla anni locique mentione. 4. *Hæc Editio nitidissima & rarissima.*

Editio secunda, Viennæ Austriæ, typis Matthæi Cosmerovii. Anno M. DCLV. 12. *Hæc editio quoque rara.*

XXVII.

Musices practicæ Erotemata. In usum studiosæ iuuentutis, breuiter & accurate collecta, a Simone Starovolscio, ecclesiæ Collegiatæ Tarnoniensis Primicerio. Cracouiæ. Ex Officina Francisci Cæsarii, S. R. M. Typ. Anno MDCL. 8. *Liber rarissimus. Primicerii dignitas significat einen Domsänger, qui in eiusmodi ecclesiis semper canonicus.*

XXVIII.

Jubileus, seu Remissa noxarum. Per Simonem Starovolscium, Primicerium Tarnouiensem. Pro pœnitentium, ac pœnitentiariorum cognitione, enodata. Cracouiæ. in Officina Francisci Cæsarii, S. R. M. Typ. Anno Domini MDCLI. 12. *Liber rarus.*

XXIX.

Simonis Starovolsci, monita legalia, methodum in utroque iure studendi præscribentia. Cracouiæ. apud Viduam & Heredes Francisci Cæsarii, S. R. M. Typog. MDCLII. 12.

XXX.

Epitome Conciliorum, tam Generalium, quam Prouincialium, in Græca & Latina Ecclesia celebratorum, quæcunque reperiri potuerunt. Itemque Vitarum Romanorum Pontificum, Epistolarum Decretalium & diuersarum Sanctionum eorum. Cum Chronologica & Historica obseruatione. A Simone Starovolscio, Primicerio Tarnouiensi. Libris XXVI. comprehensa. Romæ. M. DCLIII. Sumptibus Ioannis Baptistæ, & Iosephi Corbi Bibliopolarum. Typis Ignatii de Lazaris. Superiorum permissu. fol. *Opus rarissimum.*

XXXI.

Simonis Starovolsci, Breuiarium Juris Pontificii. in usum simplicium Parochorum, Libris septem, simpliciter collectum. Romæ. Sumptibus Io. Baptistæ & Iosephi Corbi, Bibliopolarum. Ex Typographia Francisci Monetæ. MDC. LIII. Superiorum permissu. 4. *Liber rarissimus.*

XXXII.

Monumenta Sarmatarum, viam uniuersæ carnis ingressorum. Simone Starovolscio, Primicerio Tarnouiensi, collectore. Cracouiæ. In Officina viduæ & Heredum Francisci Cæsarii, S. R. M. Typog. Anno Domini, MDCLV. fol.

XXXIII.

Vitæ Antistitum Cracouiensium, per Simonem Starovolscium, C. C. Primicerium Tarnouiensem, editæ. Additis hexastichis, excellentis olim viri, Christophori Comscii, Philosophiæ Doctoris. Superiorum permissu. Cracouiæ apud Viduam & Hæredes Francisci Cæsarii, S. R. M. Typ. Anno Domini, M. DCLV. fol.

SERMONE POLONO

XXXIV.

Epistolarum Turcicarum volumen. Craco-

Cracouiæ, in Officina typographica Matthiæ Andreouienſis. Anno Domini MDCXVIII. *Liber perrarus.*

XXXV.

De corrigenda Reipublicæ Polonæ forma, poëma. Impreſſum Anno Domini MDCXXV. 4.

XXXVI.

De laudibus S. Benedicti, concio. Cracouiæ, ex Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXLI. 4.

XXXVII.

Oratio, in exequiis magni Præſulis, Jacobi Zadzik, Epiſcopi Cracouienſis, Ducis Seueriæ, habita. Cracouiæ, ex Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXLII. 4.

XXXVIII.

Sermones de Sanctis, Cracouiæ, ex Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXLV fol.

XXXIX.

Sermones in dies Dominicas. Cracouiæ, ex Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXLVIII. fol.

XL.

Sermones, pro diebus, B. Virginis MARIÆ ſacris. Cracouiæ, ex Officina Franciſci Cæſarii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXLIX. fol.

XLI.

De Aula Conſtantinopolitana relationes., Cracouiæ, ex Officina typographica Franciſci Cæſarii. Anno Domini, MDCXLVII. 4.

Editio ſecunda. Ex eadem Officina Anno Domini, MDCXLIX. 4.

Tertia editio. Cracouiæ, ex Officina Franciſci Cæſarii, S. R. M. & illuſtriss. Principis Epiſcopi Crac. Typographi. Anno MDCCXV. 4.

XLII.

Bonus miles. Superiorum permiſſu. Abſque anni & loci mentione. 4. *Rarus Liber.*

XLIII.

Diſſertatio, de exactionibus militaribus. Abſque anni & loci mentione. 4. *Libellus rariſſimus.*

XLIV.

Diſſertatio, de moneta. Omiſſa quoque, cum anni, tum loci mentione. 4. *Rariſſimus Starovolſcii ſcriptis annumeranda.*

XLV.

Conſilium, de prohibendis populationibus Tartarorum. Prior editio, ſine loci & temporis nota, exiit. 4.

Secunda editio, Cracouiæ, typis Adalberti Gorecii, excuſa eſt, Anno Domini, MDCLXXI. 4.

XLVI.

De reformandis gentis Polonæ moribus. Opus ſæpius excuſum. Poſtrema, eaque optima editio, cura & liberalitate Stanislai Witwicki, Epiſcopi Poſnanienſis, Varſauiæ, ex Typographia Collegii Scholarum Piarum prodiit. Anno Domini MDCXCII. 4.

Eſt quoque penes nos, eiusdem operis latina verſio, propria, vt opinor, Starovolſcii manu ſcripta, publici tamen iuris nondum facta.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

Laur. Mizlerus de Kolof.

Egregium Tibi ſubiicio, Lector beneuole, de claris Sarmatiæ oratoribus libellum SIMONIS STAROVOLSCII, *haud contemnendi quondam in Polonia ſcriptoris, & viri in rebus litteratis Polonis quam optime verſati, quanquam*

quam non ſemper adeo accurati. Multa enim ſcripſit, vt ex adiecto operum eius catalogo clarum eſt, cumque commune ſit polygraphorum vitium, vt multa ſcribentes, non omnia recte digerant, idem accidit Starovolſcio, de cetero viro & doctiſſimo & clariſſimo, & de litteris Polonis præclare merito. De multis nos facit claris Poloniæ oratoribus certiores, quorum res vitæ circumſtantes difficulter ex aliis ſcriptoribus cognoſceremus, & ſcite meritoque in laude ponit illos, qui ceteris exemplo eſſe poſſint. Tam magnos enim Polonia ſemper habuit oratores, vt eos clariſſimis exterorum cuiuscunque tandem ſint nationis, æquiparare poſſis. Cumque gens Polona hanc laudem, certe non vanam, conſequuta ſit, neſcio quo fato factum eſt, vt hic libellus, qui in honorem Polonorum omnino facere poteſt, vix ac ne vix quidem perierit. Facere igitur non potui, quin opuſculum rariſſimum, iam nusquam in Polonia reperiendum & vix notum, de nouo typis exſcribi in vſum ſtudioſæ iuuentutis Polonæ curarem. Tria enim maxime ſunt ſtudiorum in Polonia genera, quæ adoleſcentes optimates iuuare videntur, ius nempe & hiſtoria patriæ, atque eloquentia. Nullus enim ciuis reipublicæ recte poteſt conſulere, niſi ſufficientem & iuris & hiſtoriæ patriæ cognitionem ceperit. Parum autem prodeſſet ſcientia ſine eloquentia. Huius enim eſt in dando conſilio, vel in ſenatu, vel in comitiis, vel aliis in locis, cum dignitate explicare ſententiam, & vti quiſque eloquentior, ita in libera republica ad ornandam patriam iuuandamque aptior putatur.

Ad hoc igitur hunc libellum facere poſſe credidi, vt non ſolum litteratis virorum memoria dignorum notitiam aperiat, ſed etiam nobilis Polona iuuentus, tam præclara eloquentiæ exempla domeſtica ante oculos habens, eo alacrius maiores ſuos virtutis ſtimulo concitata imitetur, & in maſculam veterum eloquentiam, non in illam fucatam & ſæpius frigidam, quæ adhuc quibusdam in deliciis eſt, maiori incumbat ſtudio. Latine etiam STAROVOLSCIUS, *ſi pauca excipias, & concinne atque ornate ſcripſit, ne vero Latinitatis puræ cultoribus, quales omnes adoleſcentes litteratos eſſe velimus, voces quædam locutionesque Starovolſcii minus latinæ ſint offenſioni, adiiciam hic, quæ minus Latine ab eo dicta inueni.* Generalis exercituum *non tam bene dicitur, quam* exercituum dux, *vel* præfectus ſupremus. Lingua materna, *haud Latine dicitur, pro* lingua vernacula, *vel* patria, ſermone patris, ſermone natiuo: *dicunt quidem Latini* maternus ſanguis, animus maternus, *lingua vero materna non ſignificat linguam vernaculam, ſed organum loquelæ, matris linguam.* Ad lapſum pronus *male dicitur, pro* ad committenda peccata pronus. *Ad lapſum enim pronus eſt ille, qui facile cadit in terram.* Parlamentum, *vox barbara, Latine dicimus* curia regni ſuprema, ſupremum regni iudicium. Poſthumantes, *pro* poſteri, *plane barbarum.* Irreprehenſibilis *non dicitur Latine, ſed* culpæ, vitii, criminis expers. Cenotaphium *pro epitaphium haud recte dicitur. Epitaphium enim eſt inſcriptio, vero ſepulcro adiecta, & cenotaphium titulus ſepulcro honorario inſcriptus. Pro* notorius *Latini veteres dixerunt* manifeſtus, euidens. Syndicatus *haud Latine dicitur, ſed* ſyndici officium, ſyndici dignitas. *Ad ſtilum tantum curiæ pertinet, officia varia in* atus *formare, verbi gratia,* cancellariatus, theſaurariatus, marſchalcatus, conſiliariatus, doctoratus. *Latini ignorant barbara hæc voca-*

vocabula. Ambona *minime est Latinum dicitur* suggestum sacrum. Encomiastes *est Latinitatis græcissantis*, *Latinum est* laudator. *Pro* modernus *dicunt veteres* hodiernus, recentior, nostri temporis. Sufficientissime *minime Latine dictum*, *vt* sufficienter, pro quo Latini, *abunde*, *satis superque*, *quod sufficit*, *dicunt*. Conciuis *haud recte dicitur pro eodem solo natus*, *sed* popularis, gentilis, conterraneus; communissime, *pro* plerumque *plane barbarum*, *neque* communiter *apud scriptores aureæ Latinitatis hac notione inuenitur*, *quibus* coniunctim, sine partitione, non separatim, *significat*. Parentare *est* iusta alicui soluere., *significat etiam* suorum cædem vlcisci, *non autem* iusta alicui sermone funebri soluere, *vel* piis manibus oratione funebri parentare. *Locutio* inter viros eruditos aliquem asserere, *quantum ego quidem scio a nullo Latinorum fuit dicta*. *Quod superest*, *valere te iubeo*, *beneuole lector*, *meque tibi commendo*. *Scribebam Varsauiæ III. Non. Aprilis, MDCCLVIII.*

II.

VITA ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS, XLIX, SEU REGNI POLONIÆ PRIMATIS

IACOBI UCHANSKI.

IACOBUS de Służewo UCHANSKI, episcopus Vladislauiensis, gente Raduanus, ab SIGISMUNDO AUGUSTO Rege archiepiscopus designatus, ortum terris Masouiæ debet. BOLESLAUS, dux Masouiæ, a. 1241. villam Służewo, a qua notat originem domus Uchaniorum PAPROCIUS, GOTARDO, militi in bellis cum Pruthenis Iazygibus, bellica enitenti fortitudine, in perpetuam dedit possessionem. Eius vero priuilegii renouati confirmationem IACOBUS UCHANSKI cum fratre ARNOLPHO, palatino Plocensi & aliis gentilibus * a Rege SIGISMUNDO AUGUSTO impe-

* Præter ARNOLPHUM, habuit archiepiscopus & THOMAM fratrem, venatorem Belzensem. Pater autem eorum fuit ALEXANDER in Uchanie & Służewo, Mareschallus ducis Masoviæ, Succamerarius Varsauiensis. vid. *tabula genealogica* UCHANSCIORUM celsissimi principis IABLONOVII, palatini Novogrodensis.

impetrauit, quod apud eundem Paprocium, ſub titulo ſtemmatis RADWAN, legitur. Poſt primos iuuentutis annos litteris excultos, adoleſcens ANDREÆ comiti de TĘCZYN, caſtellano Cracouienſi, cuius liberalitate fultus in puluere verſabatur ſcholaſtico, familiaris adhæſit, cumque in eius famulitio, fidem, ingenium & dexteritatem non vno probaſſet documento, Tencinii commendatione, SEBASTIANI BRANICII, regni Referendarii, qui poſt obiit Poſnanienſis epiſcopus, & iuris patrii pollebat ſcientia, ſeruitio ſe applicuit, et in iuris peritia tanto perfecit magiſtro. Demum cum TENCINIVS, voti exſoluendi cauſa, ſacram peregrinationem Hieroſolymam, ad viſenda loca ſancta, vbi ſteterunt pedes Domini, ſuſcepiſſet, Uchanio ampliſſimas hæreditarias poſſeſſiones regendas, œconomiam ordinandam commiſerat. In album regiorum deinde tranſiit ſecretariorum, & cauſas, negotia reginæ BONÆ, ex ingentibus illis, quas poſſidebat terris, ad iudicium venientia, ad votum eiusdem confecit. Non ingratum fuerat reginæ tam conſtans ac ſedulum obſequium, illudque remunerari minime neglexit. Eius enim promotione Vchanius minoribus auctus ſacerdotiis, decanatu Plocenſi, archidiaconatu Varſauienſi, mox regni referendarius eadem promouente a rege SIGISMUNDO I. renunciatus, quod munus integris annis duodecim gesſit. Exempto mortalitati SIGISMVNDO I. ad Chelmenſem, a SIGISMVNDO AUGUSTO promotus epiſcopatum, biennio & amplius anxia ſpe circa aſſecutionem & ſacri diplomatis expeditionem conflictabatur. Quippe non erat incompertum ſummo pontifici, Vchanium remiſſi & languidi zeli fuiſſe ſacerdotem, in easque nouitates, quæ tum gliſcebant, propenſiorem. Cum DROHOIOVIUS, Vladislauienſis epiſcopus, mortalitatem expleuiſſet, SIGISMUNDUS AVGUSTVS Vchanium eidem deſignauit ſucceſſorem, verum PAULUS IV. pontifex, hanc translationem nullo modo ratam habere voluit, rex tamen ad Vladislauienſis

baſili-

basilicæ collegium, mandatum dedit, vt non attentâ sacri diplomatis expeditione, bona omnia episcopalis mensæ Vchanio dimittat. Dum vero reniteretur pontifex, Vchanii in fide orthodoxa frigidi, translationem confirmare, hic nihilominus episcopatus possessionem, officii sæcularis ministerio apprehendit, ausu inaudito, reditusque omnes percepit, prope quadriennio, quousque vixit PAULUS IV, pontifex, quo mortuo PIUS IV, illius successor, rege feruentius rem Vchanii promouente, translationem tandem confirmauit. Hoc non silentio prætereundum, cum Vchanius episcopatus Vladislauiensis possessionem illicito modo capesseret, PAULUS IV, contra Vchanium torsit anathema, hic vicissim contra Romanum pontificem cum ingenti scandalo spargebat maledicta, censurasque vulgabat, inaudito exemplo. Imitari videbatur MAURUM episcopum Ravennæ, quia VITALIANO papa excommunicatus, fretus exarchi potentia, pontificem summum ausu nefario iterum excommunicauit. E viuis interim sublato Przerembio, regis fauore archiepiscopus Gnesnensis factus, quinquennio in Vladislauiensi exacto cathedra, a PIO IV, Sigismundo Augusto commendante, translationis sacrum diploma & pallium impetrauit, Gnesnamque veniens primum ad sponsam absoluit ingressum XIII. Calendas Martii. Salutauit eum orator sacri collegii LUCAS PODOSKI, præpositus Gnesnensis, canonicus Cracouiensis, vir eruditus, cuius operam & dexteritatem in pluribus legationibus probauit SIGISMUNDUS AUGUSTUS. Vertente anno 1563. venerat in Poloniam VALENTINUS GENTILIS nouatorum pessimus, Arianismi dogma impium recoquens, erat is Italus, patria Consentinus, euocatus in Poloniam a Blandrata & Alciato, eiusdem perfidiæ symmistis. Interim Rex nutanti vergentique in occasum religioni volens succurrere, totque sectis inter se dissectis, ne publicam turbarent

rent

rent tranquillitatem, obuiare, ex decreto generalis conuentus regni Petricouiensis promulgari curauit edictum, quo omnes peregrini, nouitatum seminatores, finibus regni mandauit excedere. Gentilis edicto perculsus regno excessit, cum tamen prius regi librum horrendis refertum blasphemiis contra S. trinitatem dedicasset. Bernam Heluetiorum deinde venit, vbi in carcerem fuit detrusus.

Insuper Vchanius regis SIGISMVNDI AVGVSTI fauore ad tantum prouectus gradum, seu gratum testificaturus animum, seu alia illectus ratione, omnino contendebat, vt clerus prouinciae Gnesnensis tributo ordinato regium suppleret aerarium. Rei nouae et insolitae collegium basilicae metropolitanae, tum et alii episcopi, ne in effectum deueniret, intercesserunt, factaque solemni protestatione reclamarunt. Sedes apostolica etiam effecit, ne odiosa et priuato spiritu formata consultatio ad effectum veniret. Non minus et hoc improbauit collegium metropolitanum, neque consensu voluit firmare, villae Konarii in terra Czernensi ad multos annos nepoti suo Paulo Vchanski emphiteusis iure locationem.

Venerat interim missus a PIO IV. pontifice, IOANN. FRANCISCUS COMMENDONUS, Zacynthi primum in Graecia episcopus, post a PIO IV, renunciatus S. R. E. Cardinalis. Vir insigniter doctus, prudens, et rebus agendis gerendisque spectatae dexteritatis. Quam deploratus illo tempore, totque nouitatum fluctibus concussus religionis status fuerit in Polonia, eleganter recenset ANTON. MARIA GRATIANUS a Burgo S. Sepulcri, deinceps episcopus Amerinus, qui omnium negotiorum et consiliorum memorati cardinalis intimus erat administer, et haec, quae tum agebantur in Polonia propriis vsurpauerat oculis, vitaeque cardinalis intexuit, quorum apud scriptores rerum Polonarum altum si-

lentinm: Grauior exercuit anxietas COMMENDONUM, cum veniens in Poloniam non religionis duntaxat lacerum statum, verum etiam duo primaria in ecclesia Polona capita, odiis mutuo certare aduertisset. Erant hi et ordinis sui et senatus totius, loco et auctoritate facile principes, VCHANIUS, archiepiscopus Gnesnensis, et PHILIPPUS PADNIEVIUS, episcopus Cracouiensis. Ille honore et gradu, hic diuitiis et opinione ingenii praestabat. Inter hos et praecipuae nec obscurae odiorum scintillae cum notarentur, dispares animis consiliisque, par cupiditas miscendi ac res turbandi eos solicitabat. VCHANIUS sua sponte varius, inconstans, rebusque nouandis studens, exclusa Romani Pontificis auctoritate, summum se antistitem et sacrorum principem in Polonia fore, ad summasque opes peruenturum sibi persuaserat. Neque deerant ex dissidentibus in religione, qui, spem illius assentationibus mulcendo, eidem alimenta subiicerent. Apud COMMENDONUM is priscae religionis studium simulans, deplorabat perditas catholicorum res, et dissidia episcoporum, regem nimis deditum aduersariis, omnia illis indulgere, querebatur. Hunc inde coercendum esse disserebat. Catholicos infensos esse omnes, ob crebras in magistratibus, publicisque muneribus repulsas, et fauorem in aduersarios, nec eorum defutura studia, si se ipse, Romani Pontificis nomen auctoritatemque praeferens, ducem praebuisset, ac regem ipsum ingenio timidum, metu subactum sibi fecisset obnoxium. Scilicet his consiliis auerti AVGVSTVM a pontifice cupiebat. Idem erat PADNIEVII sensus, qui regem quoque terrendum, quanquam diuerso animo, suadebat. Neuter publico bono, sed quisque rei suae studebat. Sed COMMENDONUS consiliis hisce altius introspectis, percunctationibus, quibus primum tem-

tempus tribuere consueuerat, omnia aperta exploratàque ita deprehenderat, vt quo vergeret Vchanii consiliorum libra, probe compertum habens, aliam viam, non eam, quam ille volebat, ingressus, non asperando regem minis, quæ plerumque, nisi vis ad cogendum adsit prompta, vanæ euadunt, sed repetitis sermonibus aduersus metus, qui ei a falsis calidisque ostentabantur hominibus, decenter monebat, ne ipse se regnumque in id discrimen vltro coniiceret, quod conniuendo atque indulgendo vitare posse consideret. Quam vero feliciter modus ille agendi cum rege Commendono successerit; diserte narrat Gratianus. Abeunti ex Polonia Commendono Rex gratiæ magnam declarauit testificationem, eidem pensionem duorum millium aureorum ad vitæ tempora vi priuilegii designauit, quod per PETRUM MISCOVIUM, episcopum Plocensem ei misit. Sed COMMENDONUS, licet res angusta esset, diploma ad AUGUSTUM vt referret Miscovius, rogauit, pulchre quidem mereri, sed pulchrius contemni dona regum existimauit. Nihilominus, vt REINHOLDUS HEIDENSTEINIUS, in historia rerum gestarum ab excessu SIGISMUNDI AUGUSTI, Rex COMMENDONUM, quod tum fuerat iuris regii, Polonæ nobilitatis cohonestauit prærogatiua. Verum acta Vchanii resumamus.

Erant tum magni nominis proceres in Polonia & Lithuania, præcipuaque capita, quæ peregrinis adhæserant nouitatibus, nec illis deerat fauor popularis, vt summa ope moliri viderentur, quatenus gentis concilium, quod vocant nationale, cogeretur, in quo sine vlla summi pontificis auctoritate, de vniuersa religione inter se, prout ex ipsorum vsu & republica visum esset, constituerent, & nacti archiepiscopum, cogitatis eorum opportunum, spes ipsius intimas pollicitationibus fouebant. Eodem etiam intenta cupido VCHANII archiepisco-

pi magnopere inclinabat. Cum vero instinctu motuque nouatorum res hæc in senatu fuisset agitata, rex mentionem eius præcidit, professus de ratione sacrorum quidquam statuere, nihil ad se pertinere. Et non ab episcopis modo, sed a multis præter eos senatoribus, acriter satis & constanter defensa fuerat religionis causa. Eorum præcipuus erat STANISLAUS VOLSCIUS, castellanus Ravensis, non priuatis vnius populi aut gentis, conuenticulis conflari, & sciſci diuinarum iura, & colendæ christianæ pietatis rationem, dixit, quæ omnium salutem contineret, sed in legitimis atque oecumenicis conciliis, tradito a maioribus more, ex Dei præcepto decerni. Cum autem PIUS IV. pontifex, cuius auspiciis sacra vniuersalis Tridentina synodus fuerat consummata, præciperet, vt quilibet archiepiscopus suæ prouinciæ ageret conuentus, ad res ecclesiasticas ex eorum scitis ordinandas, Vchanius cogitatis suis commodam arripuit occasionem, & studium, patrum auctoritati parendi, præ se ferens, cum Commendono, de indicanda synodo consultabat, sed & ceteri episcopi vnanimes synodum expectabant. Commendonus concilium hocce non improbabat, & plurium sensui, ne intercederet, consensit, vt Petricoviæ indiceretur synodus. Nouerat bene Commendonus ingenium Vchanii, quod veluti illi fuerat suspectum, ita consilia illius certis habuerat explorata indiciis, occulte illum cum nouatoribus contulisse, primariaque eius factionis ab eodem capita inuitata, vt illi synodo interessent, quod Commendono detulerat NICOLAUS VOLSCIUS, episcopus Vladislaviensis. Subito hæc, quæ clam agitabantur, regi denuntiauit, monuitque, vt tantus ciuilium discordiarum supprimeretur fomes. Rex igitur auctoritatis suæ interpositione nouatorum euertit artes, & ad Vchanium scriptis litteris effecit, vt illa synodus in pacatius differetur tempus, quod quidem factum, &

archi-

archiepiſcopus non grauatim conſenſit, cum videret occultas ſuas machinationes, boni publici obtentu velatas, non ita latere, quin cordatioribus innoteſcerent.

Dum autem tanti momenti negotiis expediendis incumbit Commendonus, pontifex maximus acta decretaque concilii, typis exſcripta, miſit in Poloniam, iuſſitque dare operam, vt publice acciperetur, ex eiusque præſcripto res adminiſtraretur eccleſiaſtica. Hoc volumine accepto Commendonus magnis contendit ad regem itineribus, qui longe in finibus Lithuaniæ, regni conuentum Parcoviæ agebat, vbi quam primum peruenit, nullo arcanorum conſcio, regem adit, atque cum eo de tota re diligentiſſime contulit, quo ſibi ex ſententia præparato, cum placuiſſet regi eadem die, ne ſpatium daretur Vchanio, aut nouatoribus quidpiam dicendi contra, Commendonum orantem audiri, eodem in camera relicto, ſeque ibi opperiri iuſſo, rex ſenatum ingreditur, neque diu moratus, ad accerſendum duos miſit ſenatores, a quibus in ſenatum introductus eſt, magnoque cum ſilentio auditus, qui ſermo extat apud Gratianum. Cumque finem dicendi feciſſet Commendonus ſenatuque abire vellet, rex eum manere iuſſit, tanquam linguæ patriæ ignarum, ac ſtatim exquiri cœptæ ſententiæ. Primus erat, qui rogatus, vt ſenſum promeret, Vchanius, qui ab ingenio ſuo non diſcedens cum magno verborum apparatu pontificis maximi ſtudium & patrum Tridentinorum extuliſſet ſapientiam, accipiendum quidem volumen concilii a Commendono regi traditum, verum eidem reſpondendum cenſuit, non niſi lecto libro, vlteriorem de illo ſententiam indicaturam. Hæc oratio Vchanii, epiſcopis & catholicis vehementer diſplicuit, quaſi ſcita illa concilii ſub cenſuram regis & ſenatus reuocare videretur. Tum rex non expectatis aliorum ſententiis, quas ex aliquo murmure perſpexerat, placere ſibi

 dixit,

dixit, vt iussa oecumenici concilii recipiantur, iisque, vt conueniret, obtemperetur. Atque in hanc sententiam per procancellarium MISCOVIUM responsum est Commendono. Ceterum paulo post in synodo ab Vchanio conuocata concilii Tridentini decreta recepta fuere.

Ad cetera intestina mala, quibus Polonia vrgeri videbatur, accessit aliud grauius multo, vnde tragici illi Angliae motus, ex pari causa, par quoque reuolutio, haud dubie imminebat. Rex Catharinam, reginam, fastidire cœperat, eamque Radomiam relegauerat, omninoque, vt matrimonium illud dirimeretur apud pontificem agere incipiebat. Hoc tamen non eo, quo sperabatur, procedebat successu, & Anglicana tempestas ex pari denegato diuortio, quae non multis ante praecesserat annis, desiderium regis non adeo iuribus ecclesiae consentaneum morabatur. Itaque aperto communicato cum senatu consilio, quaedam non satis probata, ac nec optabilia quidem caussatus, dimittere eam se ex regno velle, palam est testificatus. Quod cum nec auditum vnquam in Polonia fuisse Vchanius archiepiscopus, qui primus dixerat sententiam, affirmasset, ad pedes regis prouolutus flens gemensque obtestabatur regem, ne vxorem dimitteret. Verum ea oratio a regiis assentatoribus, & a rege ipso fuerat contemta. Venerat sub id tempus ad regem legatus caesareus, episcopus quinque ecclesiensis (DUDITHIUS) qui has regis contra Catharinam auersiones diluere fuerat conatus, sed rege peruicacius obsistente nihil effecerat. Praetendebat rex diuinitus immissis terroribus se ob incestas ita exagitari nuptias, vt morte ipsa grauius duceret Catharinae conuiuere. Verum eas fuisse praestigias, ex adulterinis & vagis profectas amoribus, res certa spargebatur. Catharina regno excedens non diu superuixit.

An-

Anno 1569. in conuentu generali Lublinensi, priscum illud fœdus Lithuaniæ cum regno Poloniæ renouatum sancitumque est. Hoc magnum opus a Iagellone inchoatum rex consumsit euentu perquam prospero. Aderat in frequenti senatu archiepiscopus, & tanto conatu, tamque intento studio, rem vix non desperatam, cum aliis ad optatam promouit metam.

Maioribus inuolutum erat difficultatibus negotium, quod pontifex maximus PIUS V. Commendono demandauit, nempe vt cum rege regnique ordinibus de fœdere armorumque societate contra Ottomanos pacisceretur, conscio tanti negotii arbitro Vchanio. De iungendis aduersus eam gentem armis multa Commendonus, quæ commoda visa sunt, accurate apud regem disseruit, qui vero omnia ad concilium suorum reiecit: siquidem pacis ac belli iura legibus Polonorum circumscripta, ad generalem regni spectant conuentum. Venerant interea frequentes ad indictum conuentum Poloni, nec aliud obstabat, quo minus Commendonus ordines regni congregatos alloqueretur, quam languor & morbus regis. Nam senatum adire, absente rege, noluit, cumque in dies regis ingrauesceret morbus, nec res diutius videretur differenda, eo deuentum est, vt delecta senatus pars, ad audiendum Commendonum domum eius veniret. Venere itaque Vchanius archiepiscopus Gnesnensis, & episcopi tres, Cracouiensis, FRANCISCUS KRASINIUS, Plocensis, PETRUS MISCOVIUS, & Przemisliensis VALENTINUS HERBORTVUS, cum sex palatinis, octo castellanis, cancellario regni, VALENTINO DEMBIENSKI, & regni Mareschalco. Cancellarius Commendonum allocutus, valetudinem regis languentem, dixit, non permittere, quo minus desideria summi pontificis in facie totius reipublicæ explicaret, proindeque legisse viros, gentis

suæ

suæ principes, qui eum suo ac ordinum nomine adirent, dictaque exciperent, petere igitur, qui cum iis, qui quasi ordines repræsentarent, tanquam præsente se, de omnibus rebus loqui ne grauaretur. Ad quæ Commendonus apposite respondit & mandata summi pontificis armorumque coniunctionem contra orientem efficaciter promouit. Sed regis morbus in dies ad tabem periculumque vergens, omnium animos ac ipsius quoque Commendoni curam ab aliis rebus in se auertit. Eodem fere tempore insperata PII V. pontificis mors sane importuna toti reipublicæ christianæ intercesserat, & sic meditata illius morte intercepta. Indixerat nihilominus rex a. 1572. Varsauiæ conuentum generalem, in quo hæc armorum societas venisset ad trutinam, nisi pestilens aura, quæ totum funestabat regnum, illum dispersisset conuentum. Rex ipsemet affecto ægroque corpore illam declinando contagionem profectus Tykocinium primum, deinde Knischinium, vbi breui eodem anno ipsis Iulii nonis, horis pomeridianis inter primam & secundam throno & vita excessit, cum vix ætatis suæ septimum absoluisset septenarium, & ipso Iagellonibus rege etiam existente septimo.

Mortuo rege contendebat cum Vchanio archiepiscopo de iure conuentuum congregandorum, regis eligendi atque negotiorum interregni moderando cursu, IOAN. FIRLEIUS, palatinus Cracouiensis & supremus regni Mareschalcus. Trahebatur controuersia peruicacius. Indixerat quidem conuentum, morte regis vulgata, Vchanius LOVICII, verum FIRLEIUS & tota minor Polonia eum improbabant. Firleius clientelis & nouatorum factione præualidus post Cracouiensem denuntiatum & actum conuentum, alterum etiam IV. idus Augusti Knischyni congregandum denuntiauerat, quem priscæ consuetudini & tot annorum iuri præscripto archiepiscopus dis-

sonum

ſonum reclamabat, non deſiſtebat tamen FIRLEIUS præſumtam ſuam ſtabilire auctoritatem, & maioris Poloniæ & Lituaniæ proceres in ſuam trahere ſententiam. Ac prorſus primatis dignitas, quæ a tot ſæculis penes archiepiſcopum erat, ita oppugnabatur, vt ea fere interuerti atque alio potuerit transferri, niſi STANISLAI KARNKOVII, epiſcopi Vladiſlauienſis vigilantia & dexteritate ſarta tecta archiepiſcopi conſeruata fuiſſent. Vchanius homo grandæuus, quantum poterat, a tam præualido aduerſariorum impetu, gradum & dignitatem primatis aſſerebat. Tandem ſuaſu Karnkovii poſt varias diſceptationes, maioris & minoris Poloniæ proceribus & ordini equeſtri, ad villam Kaſzki, quinto a Varſauia lapide, conuentus ab archiepiſcopo indictus fuit, cuius auctoritate primum conuentus in palatinatibus particulares inſtituti fuere, qui Varſauiæ definitam indictamque in anno 1573. præceſſerunt conuocationem generalem circa feſtum epiphaniarum. In hac ſancitum, vt regis futuri electio indiceretur in campo vicino Varſauiæ trans Viſtulam, prope villam KAMIEN, pridie nonas Aprilis anno eodem. Tandem poſt multorum diſſenſiones HENRICUS VALESIUS rex fuit electus, & ab Vchanio denuntiatus. Sed IOAN. FIRLEIUS, Cracouienſis, & NICOLAUS MIELECIUS, Podoliæ, palatini, GROCHOVUM villam, non adeo a Varſauia remotam, ſeceſſione facta, ad commune inuitati conſilium recuſarunt venire. Cudebant interim illam confoederationem, quæ libertatem conſcientiarum permittat, vtque nemini, nouam adſciuiſſe religionem, crimini vertatur, ſed epiſcopi, & in primis Vchanius, ne effectui daretur, obſtiterunt, qui iam nouatorum cauſam, contra eorum ſpem, minime tuebatur, id quod Roma & ſummus pontifex GREGORIUS XIII. magno cum plauſu audiuit & excepit.

Cum electus rex HENRICUS VALESIUS ad fines Poloniæ

ac in primis MEDIRECIAM VIII. cal. Feb. a. 1574. ac deinde Cracouiam magno cum ſplendore eſſet ingreſſus, coronatio cum omni ceremoniarum ſolennitate peracta, diademaque impoſitum capiti regis, a IACOBO VCHANIO archiepiſcopo, aſſiſtentibus præſentibusque FRANCISCO KRASINIO, Cracouienſi, STANISLAO KARNKOVIO, Vladislauienſi, ADAMO KONARIO, Poſnanienſi, PETRO MYSZKOVIO, Plocenſi epiſcopis. Actum vero tam celebrem regiæ inaugurationis turbauerat nouatorum inſolens temeritas, qui magnis inconditisque clamoribus, regio iuramento confoederationis, ſeu conſcientiarum libertatis ſecuritatem firmari vrgebant. Verum archiepiſcopo & epiſcopis reſiſtentibus rex diutius in genua procumbens diſtinebatur, tædiose illius controuerſiæ præſtolando exitum. Erat, vt iam innuimus, huius factionis coryphæus IOAN. FIRLEIUS, palatinus Cracouienſis, qui vt erat opibus, clientelis præpotens, & magnæ tum in regno auctoritatis, liberius regem allocutus dicere non eſt veritus regi, niſi iurauerit, non regnaturum, & dictis factum adiiciens, corona regia, quæ in altari poſita fuerat, arrepta, ex templo abituriebat. Verum archiepiſcopus & epiſcopi, cum tam abruptam diffidentium contumaciam aduerterent, veriti ne factio illa ſectariornm tam valida & præpotens, in periculoſum aliquem erumperet tumultum, diſſidii tanti admiſerunt moderationem, pacemque ſeruatam iri, conſenſerunt, cum nullatenus acatholicorum obſtinatio poſſet ad ſaniorem flecti ſenſum. Coronatione perfecta rex ad publica negotia aduertit animum, curisque vacauit publicis, in primis concertationes catholicorum & nouatorum pro & contra nitentium, ſilentio parti vtrique impoſito, ſopiuit. Ceterum Henrici regis dominatio adeo non allubeſcebat quam plurimis, vt eam licentioſa ingenia famoſis carperent ſcriptis, quorum vnum inſtar libelli ſupplicis

in

in manus regi traditum. Neque rex contentus, mortuo fratre CAROLO, Galliæ rege, Cracouia insciis omnibus proceribus Polonis, tota nocte effuso cursu, die XVIII mensis Iunii, vltra regni fines properauit.

Insperata hæc vicissitudo clam omnibus excedente regno Henrico, nec nisi quadrimestri rege, in varia studia regni proceres distrahebat. In isto motu Varsauiam conuentum indixit archiepiscopus, & quæstio proposita, regem ne adhuc, an interregnum placeret haberi. Tandem conclusum est, NICOLAI MIELECII Podoliæ palatini sententiam acceptandam, vt legati mittantur in Galliam, regium postulaturi aduentum intra præfinitum tempus. Quod si intra hoc spatium ad designatam diem venire neglexerit, illa dies abdicati regni sit indicium. Terminus ad mensem Maium anni sequentis 1575. prorogatus, intra quem nisi veniret, alio iam edicto promulgato ad nouum regem eligendum Stenziciam, oppidum terræ Sandomiriensis, conuenirent. At Vchanius toto tempore illius consultationis in medio procerum non comparuit, inque diuersorio solitarius mansit. Vbi vero XII Maii aduenit, proceres & nobilitas in magna frequentia Stenziciam venerunt, & legati ab Henrico reuersi, litteras regias plenas beneuolentiæ exhibuerunt, quo facto Vchanius ex consilio ordinum regni pridie nonas Novemb. comitia Varsauiæ futuri regis electioni designauit, cum ante PETRUS ZBOROVIUS, vna cum VALENTINO DEMBINIO, regni cancellario, e conuentu Prosouiensi Cracouiam reuersi, voce præconis in foro interregnum publicari mandauerint. Die electionis adueniente candidati regni præcipui per legatos, proceribus & nobilitati propositis speciosis conditionibus, ad orbum aspirabant sceptrum. Primus inter eos eminebat MAXIMILIANUS imperator, qui vel sibi, vel ERNESTO filio campi electoralis fauentes optabat calculos. ALPHON-

 SUS,

SUS, dux Ferrariæ, eiusque legati leui excepti auditu. Subibat iam externi principis fastidium, & magis indigenam, quam alienigenam regem suadebant eligendum. Quam ob rem duo præ aliis placuere, qui tanto non indigni censebantur fastigio, IOAN. de Stangenberg KOSTKA, palatinus Sendomiriensis, & ANDREAS TENCINIUS, palatinus Belzensis, verum ab altera parte surdis hæc auribus excepta. Cumque indigena princeps displiceret, iterato missis ad contradicentem partem nuntiis, cuius primarium fuerat caput VCHANIUS, suadebant, vt excluso Austriaco quispiam alius in regem eligeretur. Sed Vchanius iam a cæsaris præoccupatus legatis, cum FRANCISCO KRASINIO, Cracouiensi episcopo, NICOLAO MIELECIO, Podoliæ palatino, STANISLAO CZARNKOVIO, regni referendario, tum & aliis, qui causæ Austriaci fuere assertores, parti aduersæ, ordini præsertim equestri, qui in alio consultabat loco, Austriacum per internuntios obnixe proponebant eligendum. Ceterum nec reditu nuntiorum, nec ordinis equestris consensu expectato, Vchanius pridie Idus Decembris cæsarem MAXIMILIANUM, regem Poloniæ renuntiauit, & statim ad basilicam Varsauiensem, vbi etiam ANNA, regis Sigismundi Augusti soror aderat præsens, ad canendum Deo hymnum, profecti sunt, CZARNKOVIO & CHRISTOPH. ZBOROVIO, assiduo VCHANIUM archiepiscopum custodientibus. Quod vbi ad nobilitatis consensum relatum est, indignari omnes occipiebant, quod altera pars non fraterne secum egisset, protestati de iniuria sibi facta, ANNAM reginam, virginem, sibi principem legitimam, eidemque maritum STEPHANUM BATOREUM, Transyluaniæ principem, futurum regem designarunt, nominante ac renuntiante IOANNE de SIENNO, archiepiscopo Leopoliense. STEPHANUS Cracouiam XIV. calend. Mai, splendido cinctus comitatu ingressus, ritu solenni a KARNKOVIO, Vladislauiensi episcopo

piſcopo inauguratus, vna cum ANNA regina, cuius matrimonium itidem Karnkovius benedixit. VCHANIUS partibus cæſaris adhærens Cracouiam non venerat. Ne vero præiudicium primatis prærogatiuæ nouum emergeret, decretum ſenatus & ordinum regni interceſſit. VCHANIUS vero ded't ad cæſarem litteras, acerbi doloris plenas, cunctationem eius incuſando, non minus & ſenectutem ſuam, quod externa & infirma ſpe fretus in altum quaſi tempeſtatum ſe ac rempublicam dediſſet. Significat iisdem cæſari, fidem iam ſe iuramento regi STEPHANO obſtrinxiſſe. Litteræ hæ ſcriptæ poſt factam reconciliationem cum rege, quem deprecaturus venerat Varſauiam, rege iam placato archiepiſcopus etiam illius deſideriis promouendis gratiam demerendo vlteriorem, alacrem impendit operam. Inſtabat neceſſitas rei nummariæ, rexque pro impenſis belli, quod Gedanenſibus, cæſareas partes ſecutis, indixerat, neruo indigebat. VCHANIUS conuocata ſynodo prouinciali, ſubſidium ab omnibus eccleſiaſticis regi prouiſum decretumque. Hoc donatiuum ab archiepiſcopo, Vladislauienſi & Plocenſi epiſcopis, IOAN. DEMETRIUS SOLIKOVIUS, & HIER. POWODOWIUS, qui obiit canonicus & archipresbyter Cracouienſis, regi iam in caſtris prope Gedanum commoranti detulerunt. Eadem opera, grauamina & iniurias eccleſiaſticorum regi repræſentarunt, in quibus tollendis rex ſuam opem prolixe ordini eccleſiaſtico detulerat. Bellum cum Gedanenſibus poſteaquam deſiit, & oratores principum Germaniæ, Brandeburgi & Saxoniæ ad regem miſſi, cum agerent de pace Gedanenſibus concedenda, rex non grauatim Gedanenſes in gratiam recepit, & priuilegia ciuitatis confirmauit. Eadem opera dicti oratores perfecerunt, vt ALBERTI FRIDERICI in Pruſſia ægræ valetudinis ducis, GEORGIUS FRIDERICUS ab Anſpach, Carnouiæ dux, tutelam gereret, Pruſſiamque guberna-

ret, cum spe feudi & fiduciarii principatus, cui rex inuestituram dedit, ducemque Prussiae, cum antea dux in Prussia vocaretur, & solus rex ducis Prussiae titulo gauderet, creauit.

Iam vero Vchanius archiepiscopus, vti grandaeuus languebat, neque diu superuixit. Adsciuerat sibi coadiutorem cum futura successione Stanislaum Czarnkovium, regni referendarium, & consensum super eam adoptionem subscripserat Henricus extra regnum, & Czarnkovius partibus Austriacis adhaerendo gratiae Stephani reconciliationem neglexerat, quod ipsimet Vchanio displicuerat. Hinc Karnkovium, excluso Czarnkovio, destinabat sibi successorem. Conceptus inchoatus ad effectum non peruenit, dum enim rex obsidioni Welikolukorum in castris incumbit, Vchanius Lovicii quinta Aprilis, a. 1581. supremum vixit, cum ecclesiam metropolitanam annis octodecim gubernasset. Lovicii, prout vltimae voluntatis mandauerat tabulis, tumulatus quiescit. Erga sponsam ecclesiam metropolitanam beneuoli animi reliquerat monumentum, aureum calicem, baculum pastoralem argenteum deauratum, tres annulos & aliquas sacras vestes. Collegium MANSIONARIORUM, qui horas B. Mariae virginis decantarent, ad ecclesiam parochialem Petricouiensem erexit, a. 1578. Finiamus tandem ANDREAE TRICESII, qui CLEMENTIS IANICII vitas archiepiscoporum continuauit, carmine:

VCHANIUS pietate nitens, vt semper obiuit
Sedulus officii munera cuncta sui;
Sic aduersa malis senium tulit per omne
Plurima constanti pectore temporibus.

III.

De modo & ordine electionis noui Regis, apud Varsauiam anno Domini 1573. habitae, rationeque eligendi reges Poloniae, illustriss. ac Reverendiss. Domini, Dom. STANISLAI KARNKOWSKI *archiepiscopi Gnesnensis &c. ad* MARTINUM CROMERUM, *episcopum Varmiensem epistola.*

Eiusdem Panegyricus ad HENRICUM VALESIUM, *Poloniae Regem designatum.*

IN praecedente trimestri de primatu senatorio regni Poloniae, archiepiscopi Gnesnensis Karnkovii doctissimam dissertationem inserui, nunc de duobus quae illi annexa sunt, scriptis, dicam, & primo quidem de modo & ordine electionis noui regis.

In omni electione haec tria a directoribus prouidenda esse existimat grauissimus auctor. Primum, vt ii, qui eligunt, sine vllo metu, eligendi potestate vtantur. Deinde, vt recto iudicio, ordine debito & modo legitimo. Postremo, quod est omnium maximum, vt cum summo timore Domini electionem accedant. Haec omnia in electione HENRICI VALESII a senatoribus prouisa fuere. Principio enim confinia regni praesidiis firmanda: deinde pacem domesticam, constitutis iudiciis extraordinariis, adstringendam decreuerunt. Postremo modum & rationem eligendi regis tam popularem adinuenerunt, a qua nullus eques exclusus, nullus circumuentus esse videretur. Diem & locum comitiorum, habito de more & lege inter se consilio, edixerunt. Sed quia omnes vnum oppidum capere non poterat, de mandato senatus, per officiales regni, singulis palatinatibus oppida & pagi adiacentes pro diuersoriis distributi sunt. Ad communia vero consilia capienda designa-

tus

tus eſt ager prope ciuitatem pace publica ſacratus. Erat campus late patens, in quo extenſum erat tentorium ingentis amplitudinis, circumquaque ambiebant tentoria palatinatuum, ſiue terrarum. Conuenit frequentiſſimus ſenatus & numeroſiſſimus equitum exercitus. Poſtquam igitur externorum principum in maiori tentorio auditæ ſunt legationes, & ab vniuerſis conclamatum eſſet, vt declarante & proponente archiepiſcopo Gneſnenſi, velut primate regni, ad eligendum regem procederetur, factum eſt, vt decernente eo ex ſententia ſenatus, vnusquiſque ſe ad tentorium terræ, ſiue palatinatus ſui, ſecundum præſcriptum receperit. Iuere quoque epiſcopi & ſenatores, ac quem quisque locum de more & conſuetudine in palatinatibus viuente rege habebat, eundem tum defuncto obtinebat. Hymno itaque ad inuocandum ſpiritus ſancti gratiam in ſingulis palatinatibus decantato, ſenatores, cum iis, qui erant ab equeſtri ordine ad audiendas legationes deputati, poſtulata & capita eorundem retulerunt. Equites ſuo quisque loco ſententiam libere, a maximo ad minimum, cum cauſarum etiam explicatione, dixerunt: præeuntibus & informantibus ſenatoribus, a quibus conciliabantur ſententiæ, & ad minimum numerus candidatorum redigebatur. Tandem finitis ſententiis, nomen candidati, & nomina equitum, ac numerus ſuffragiorum, in ſcripturam redigebatur, & ſigillis eorum, quo cum maiore fide ſenatui exhiberetur, obſignabatur. Manebat tamen cuique poteſtas mutandi ſententiam. Relatæ ſunt deinde ſcripturæ ſigillis obſignatæ ad maius tentorium in conſeſſum ſenatus: lecta & recitata ſunt nomina candidatorum, itemque numerus & nomina ſuffragatorum vniuscuiusque. Sed cum in electionibus liberis id maxime cauendum eſſe videatur, vt non ferrum, non aurum, non acclamatio, ſed recta ratio, publica vtilitas & perſuaſio locum habeat, res deducta eſt ad

iudi-

iudicium & examen rectæ rationis. Cum multum diuque deliberaret ſenatus, quæ ratio eſſet ineunda examinis, nulla melior viſa ea, qua Græci & Romani olim, ac vt auditur, nunc Veneti, in deliberationibus grauiſſimis, tam actionum publicarum, quam cauſarum forenſium vtuntur. Editi ſunt aduocati, ſingulis candidatis ſenatores tres, ex quorum numero Karnkovius quoque erat, qui eorum partes, ſeruato cuique ſuo honore, tutati ſunt. Res acta eſt eiſdem iudicibus, quibus & teſtibus. Non erat illud certamen adulationis, ſed veritatis, certabat ratio cum ratione, argumentum cum argumento, cauſa cum cauſa. Expendebantur rationes honeſtatis, commodorum, incommodorum & periculorum. Nihil ibi intentatum relictum eſt, quod ad hoc negotium ſpectare quoquo modo videretur. Rigidum ſane & acre examen, ſed nobis ac reipublicæ noſtræ neceſſarium, quo libertas, ſalus, & ſecuritas rei publicæ regnique fundabatur. Poſt conſenſum, poſtulatum eſt ab archiepiſcopo, vt electum de more renunciaret regem, ad quod is paratus erat. Sed quia ea die ſol vergebat ad occaſum, ne quid ea res mali ominis haberet, petentibus aliis, renunciatio in diem perendinum dilata eſt. Actum eſt id pridie pentecoſtes, interceſſerunt dies ſacri pentecoſtes, raro exemplo. Quis enim vnquam audiuit vel legit, prorogari, non ſolum in dies aliquot, ſed in horam conſenſum electionis, cum momentum temporis magnam conuerſionem animorum afferre ſoleat. Die lunæ ſequenti igitur archiepiſcopus, & electo regi & reipublicæ totique Chriſtiano orbi fauſta præfatus, HENRICUM, Andium Ducem, ſolenni ritu regem renunciauit. Eadem die acciti ſunt Gallici oratores, ad tractandum de conditionibus oblatis. Conuentum de conditionibus. Die demum quarto, de conſuetudine, Marſchalci regni, renunciatum in conſilio a primate, de omnium

ſententia regem publicarunt, cum promulgatione edictorum per vniuerſum regnum.

Hæc ſunt, quæ auctor, tunc epiſcopus Vladislauienſis, de electione regis, & quidem HENRICI VALESII, ſcripſit, & ad rem pertinent, multa vero alia dixit, in primis de miraculoſa quaſi Henrici electione, quæ ſpiritus ſancti inſtinctu abſoluta fuiſſet, quæ omittenda duxi, ſcilicet minime euentu comprobata, vt hiſtoria docet. *

Panc-

---

* Qualiter HENRICUS VALESIUS, Dux Andegavenſis, fauorem procerum Polonorum occupauerit, non abs re viſum hic adiicere, ex vita COMENDONI cardinalis, auctore ANT. MARIA GRATIANO, actorum illius temporis bene gnaro. Venerat in Poloniam e Gallia pumilio quidam, natione Polonus, honeſte natus, cui nomen KRASOSKI fuit, quique adoleſcentulus rara paruitate dono datus CATHARINÆ reginæ Mediceæ, diu inter oblectamenta regum fuerat: ingenio ſolertior callidiorque, quam pro modo corporis, ita rem ſuam nauiter egit, vt pecunioſus euaſerit. Senex factus reuiſere patriam cupiens viuo AUGUSTO redierat, multaque, vt fit, de regia Galliæ, de regni opibus, deque HENRICO, feliciter bellum contra in religione diſſidentes gerente, magnifice omnibus in conuiuiis, quibus ſæpe a proceribus adhibebatur, prædicabat, & mortuo demum AUGUSTO, cum omnium prope ſermonibus de futuro rege quæreretur, palam, vt Henricum regem ſibi aſciſcerent, omnes ſolicitabat, donec inſtinctu ANDREÆ ZBOROVII, ab aliquot Polonæ nobilitatis principibus, qui conſilia cum Zboroviis ſociauerant, in Galliam eſt miſſus, & datis ad regem Henricumque litteris, quibus operam pollicebantur, ire propere, eosque ad mittendos legatos, qui peterent Henrico regnum, adhortari eſt iuſſus. Nec vero ille homunculus defuit rei, nec reges aut nuntium, aut nuntii auctores ſpernere. Galli haud ſegniter negotio inſtiterunt, & miſſus legatus fuit in Poloniam IO. MONLUCIUS epiſcopus & comes Valentiæ cum Noiallo & Lanſaco. Tam largis pollicitationibus ac fere Attalicis conditionibus regnum Henrico curabat deferendum MONLUCIUS, vt nemo publice vel priuatim quidpiam ab illo auderet poſtulare, quod non multo promptius ipſe promitteret. Hinc non minus feſtiuum, quam celebre in Monlucium, NIC. MIELECII, palatini Podoliæ, vulgabatur dictum: pontem Varſauienſem, vt ex auro ſolido conſtrueretur, ab illo poſtulandum, de genere auri, an Gallicum, an Hungaricum adhibendum, dubitationis fortaſſe aliquid futurum, de re nihil. Ideo a cæſareis legatis res in oratione nota fuit: cum alios omnia promittere poſſe dicerent, ſe ea tantum, quæ a principibus ſuis & poſſe præſtari & præſtitum iri, confirmare poſſe.

Cum

Panegyricum ad HENRICUM VALESIUM, *Poloniæ Regem deſignatum*, quod attinet, grauiſſimus auctor non tàm panegyricum, quam potius hiſtoriam electionis atque renuntiationis HENRICI dixit, & fere omnia, quæ iam in epiſtola ad Cromerum de electione, ſcripſit, repetiit, ſubminiſtrando conſilia, qua ratione Henricus regnare & Polonorum expectationi reſpondere debeat. Quamuis in panegyricis non omnia adeo accurate ad nudam veritatem dirigantur, in hoc panegyrico tamen illud eſt notandum, quod aperte hiſtoriarum veritati contradicat. Dicit nempe auctor, prius fuiſſe HENRICUM electum, deſignatum & renunciatum regem, quam de conditionibus cum oratoribus eius tranſigeretur, id quod nemo, niſi hiſtoriæ Poloniæ ignarus, credet.

IV.

Catalogus comitiorum

AUGUSTO II. REGE.

Annus	Locus	*Succeſſus*
1697	Cracoviæ	integra

Interea die XV. Septembris accurrentis electi Saxoniæ Electoris coronatio, refractis ad gazophylacium regni repagulis, feſtinata. Poſt ſolitam confirmationem iurium, pacta conuenta ſatis difficilia præ omnibus anterioribus, iuramentum Regis, coæqua

Cum imminuere apud alios nimia promiſſa fidem ſoleant, neque minus tamen, animis partim credulitate, partim auaritia obcæcatis, non quid præſtari poſſit, ſed quid promitteretur plerique ſpectabant. Omnium igitur tam ſpecioſis illectorum promiſſis ſuffragia in Henricum propendebant. Ex his apparet, quæ veræ fuerint electionis HENRICI cauſæ.

Annus	Locus	Successus	
			tio iurium Lituanis, tanto motu in comitiis electionis quæsita, confirmata fuit, in casum necessitatis motio nobilitatis generalis sancita, præter ea nihil actum. Mareschallus CHRISTOPHORUS STANISLAUS na Baksztach ZAWISZA, Capitaneus Minscensis. [Załuski Tom. II. p. 440.]
1698	Varsaviæ	rupta	Lituani propter ciuile bellum cum Sapiehis, per sex nuntios, adhuc sub directione præcedentis Mareschalli, protestationibus soluerunt hæc comitia. Interea tractatus pacificationis cum Rokoszanis, a suo candidato, Gallorum principe, desertis, die V. Maii huius anni, Lovicii perfectus est. [Załuski Tom. II. p. 777.]
1699	Varsaviæ	integra	Pacificatio statuum ad regem accedentium, pacta conuenta, iuramentum & confirmatio iurium a rege repetita, cui vicissim a statibus illis diploma electionis, manu Cardinalis primatis & Mareschalli electionis, more solito subscriptum, traditum, leges quoque nonnullæ salutares, contra violentos expulsores possessorum e bonis, contra corrumpentes & corruptos in iudiciis, item stipendiorum exsolutio, commissio ad tractatum cum Electore Brandeburgico super causa Elbingæ, appro-

batio;

Annus	Locus	Successus	
			batio: tractatus Carlovicensis cum Turcis & alia sancita. Mareschallus STANISLAUS SZCZUKA, Referendarius regni. Iterum.
1700	Olkinski	integra	Status magni ducatus Lituaniæ communi motu nobilitatis congregati, multis iniuriis Sapieharum diu vexati, cum consensu regis, perpetuo valituram ordinationem reipublicæ suæ sanciuerunt, quæ volumini annexa est. [*Eiusmodi conuentus, in comitia generalia a Braunio haud debuisset reponi. Neque minus tamen, cum semel, quamuis male, adiectus sit, eum non omittendum esse duxi, ne quis nimium alieni laboris me putet esse censorem.*]
1701	Varsauiæ	irrita	Mense Maio. Propter exercitus Saxonici (qui multorum procerum nutu & episcoporum etiam suasu, vt regem bello implicarent; & si succederet, Sueciam vlciscerentur, Liuoniam frustra tentauerat) eductionem extra regnum & ob Lituanorum ciuile bellum, tumultuaria, denique sine ordinata inchoatione consiliorum diffluxerunt. [Mareschallo non electo transiit tempus. Załuski Tom III. p 44.]
1701	Varsauiæ	rupta	In Decembri. Ob Sapieharum totalem ruinam, a Lituaniæ nobilibus aperto Marte, nutu aulæ factam, CASIMIRUS PAC, eques Melitensis, M. D.

Annus	Locus	Successus	
			Lit. Notarius, publica proteſtatione rupit. Mareſchallus IOANNES SZEMBEK, Referendarius regni. [Deinde Cancellarius ſupremus regni. Załuſki Tom. III. p. 155.]
1703	Lublini	integra	Suecis non impune irritatis & vindictam per Poloniam ſpirantibus, repetitio vinculorum Regis ad rem publicam, & ordinum ad Regem, cum abominatione dethroniſationis (quam ab infenſis magnatibus inſibilatam, Suecus a republica ſerio poſtulauerat) tum motio generalis nobilitatis, exemptio Elbingæ, & quædam alia ſancita. Mareſchallus MICHAEL dux WISNIOWIECKI, dux campeſtris M. D. Lit. [Deinde ſupremus cancellarius, demum ſupremus dux exercitus Lith.] ante ſenatores quatuor ad conſtitutionem deputatos, ſubſcripſit.
1704	Varſa-uiæ	Sciſſio	Confoederati palatinatus maioris Poloniæ cum ducatu Maſoviæ, latentem hactenus indignationem, duce cardinale primate Radzieiowſkio, obedientiam regi AVGVSTO, obtentu exorbitantiarum eius, renunciarunt, & interregnum publicarunt, atque ad tractatum pacis cum rege Sueciæ ceteros ſtatus allexerunt. Ad hanc confoederationem acceptandam rex Sueciæ, qua armis

Annus	Locus	successus
1704	Sendomiriæ	scissio.

armis pertingere potuit, vſque ipſum Gedanum, regni munimentum potiſſimum, coegit ſtatus.

Mareſchallus huius confoederationis PETRUS IACOBUS BRONISZ, Capitaneus Pyzdrſki, ante ſenatores, poſt Cardinalem primatem ſubſcripſit, ac poſt eum omnes deputati.

Illi confoederationi, palatinatus minoris Poloniæ, Ruſſiæ & Lithuaniæ, præſente rege AUGUSTO, & fidem rei publicæ nouo ſacramento deuinciente, ſuam potentiorem confoederationem, pro defenſione regis contra Suecum & eius adhærentes factioſos, oppoſuerunt, vbi Lipſki, palatinus Caliſſienſis, ab infenſis ſceleratis innocenter cæſus eſt. Mareſchallus generalis huius confoederationis electus STANISLAUS DOENHOF, Venator M. D. Lit. ante omnes ſenatores ſubſcripſit.

Confoederati maioris Poloniæ, cum Cardinale primate die XIX. Iunii, ad electionem regis ſui, impulſu Sueciæ regis, in vicinia cum exercitu conſiſtentis, feſtinarunt, STANISLAUM LESZCZYNSKI, palatinum Poſnanienſem, ex nutu Sueci, regem ſalutantes, qui litteris ſuis vniuerſalibus omnes ſtatus reipublicæ ad ſe inuitauit.

STA-

Annus	Locus	Succeſſus	
			STANISLAO I. Rege, in ſciſſione vncto.
1705	Varſauiæ	Sciſſio	Coronato rege ſuo, & ab eo ſuper pactis conuentis praeſtito iuramento, atque confirmatione generali iurium, die IV. Octobris, ſub titulo declarationis, non conſtitutionis, typis hæc tantum puncta publicarunt. Inde mox foedus inter nouum electum, remque publicam & regem Sueciæ die XVIII. Nouembris, tanquam renouationem pacificationis Oliuenſis XXX. articulis pepigerunt. Mareſchallus idem BRONISZ. Inter ea regis AUGUSTI, in Saxonia ſua abſentis, partes, ſtatus confoederationis Sandomirienſis, eodem anno, d. XI. Iulii Brzeciæ Lituaniæ congregati, ſub titulo manifeſti, cum vinculis ſuis fidelitatis zeloſe renouarunt. Anno 1706. Rex AUGUSTUS, per irruptionem Sueci in Saxoniam preſſus, pacificationem per legatos ſuos in ALTRANSTAD, Saxoniæ pago, die XIV. Septemb. cum rege Sueciæ CAROLO & STANISLAO, riuali ſuo, iniurioſiſſime confectam, Petricoviæ, die XX. Octobris ratihabuit, regnoque per ſolenne diploma abrenunciationis, STANISLAO ceſſit, mox inſciis & inconſultis fidelibus

bus

Annus	Locus	Successus	
			bus suis amicis, e Polonia in Saxoniam ad præsentem submissionem hostium suorum festinans. A parte STANISLAI, post electionem, coronationem & foedus Suecicum, nulla comitia, neu conuocatio statuum regni ad vnionem, magno errore suo, an magis Sueciæ regis iussu, Poloniam, durantibus tumultibus hisce, sub iugo suo retinere cupientis, celebrata. Tantum litteris vniuersalibus, inter STANISLAUM regem, & aduersas sibi confoederationes, ducemque summum exercitus, SIENIAVIUM, regi AUGUSTO constanter adhærentem, rationibus caussam suam inuicem iustificantibus, & status regni hinc inde ad suas partes trahentibus; decertatum est.
1707	Lublini	interregnum	Tandem status confoederationis Sendomiriensis Leopolim conuocati, die VII. Februarii vincula confoederationis suæ, abdicationem regis AUGUSTI contra leges regni, & pacta conuenta, insciis & inuitis plerisque statibus reipublicæ factam arguendo, renouarunt, omnes ciues ad iuuandum rempublicam in libera electione, exhortati. Inde LUBLINUM translati cum primate SZEMBEKIO (RADZIEIOVIO Cardinale Gedani interim mortuo) denique die II. Iulii h. a. ipsi interregnum

Annus	Locus	successus	
			publicarunt. Quod tamen, versis per extremam cladem Suecorum, virtute magni Russiae Zari PETRI, primum ad Propoiskum, mox ad Pultavam in limite Russiae, partam, rebus, ad effectum electionis non peruenit. Quin imo Rege AUGUSTO a magno Zaro inuitato, cum litteris manifestis ad status sub die 8. Augusti anno 1709, in regnum reduce, mox
1709	Torunii		Hi iidem status, sub marescalco suo DOENHOFIO (venatore M. D. L.) congregati, die 21. Octobris, reditum regis in regnum, cui se, vt constantes ciues decet, adhaerere, tanquam libere electo, & violenter, inuita republica, exacto regi suo, declararunt. Quod ipse Rex iam praesens, edicto d. 8. Nouembris etiam publicauit.
			AUGUSTO II. reduce in regnum iterum.
1710	Varsauiae	integra	Conuocatio generalis ordinum regni [titulo summi concilii, Polonice *walna Rada* seu] *Poparcie*, confirmationem confoederationis reassumsit, & in fundamento formaque eius, vincula regis, pactorum & iuramenti renouauit. Foedus cum magno Zaro Russiae a. 1704, pactum approbauit. Vectigal

Annus	Locus	Successus	
			gal nouum finitimorum insolens, de euectis per octo pro centum pretii mercium omnium, de bobus & liquoribus ceterisque vltimae consumtionis victualibus, ad punctualem stipendiorum exsolutionem, cum aliis tributis, quibus palatinatus Prussiae quoque contra ipsorum iura adstricti. Denique dispositiones aerarii, eliberandae Elbingae contributio iterum, & commissiones ad vexandas ciuitates Gedanensem & Torunensem, atque alia, sancita. Mareschallus idem STANISLAUS DOENHOF, dux campestris M. D. Lituanicae [tunc temporis ensifer regni] ante senatores subscripsit.
1712	Varsauiae	integra	Extraordinaria, adhuc in forma & fundamento confoederationis Sandomiriensis. Praeter repetitam toties statuum, de fidelitate Regi praestanda appromissionem, exsolutionem stipendiorum, & dispositionem aerarii, nihil sancitum, & comitia haec ad diem 31. Decembris, sub eodem mareschallo & nuntiis, absque nouis conuentibus prouincialibus, sine exemplo limitata. Mareschallus idem STANISLAUS DOENHOF.
1712	Varsauiae	rupta	Ex limitatione praecedentium, multis rixis protracta. Ducibus exercitus M. D. Lithuaniae, ob circumscriptionem potestatis suae inuicem discordibus,

Annus	Locus	Succeſſus
		nuntiis vero pleriſque Saxonicum exercitum, hactenus auxiliarem, dimittendum, nec vnquam reuocandum magno zelo contendentibus, tandem MICHAEL PUZYNA, capitaneus Wiſcenſis, in gratiam aulæ, proteſtatione rupit. Sub eodem Mareſchallo, STANISLAO DOENHOF. Abinde diffidentia ſtatuum gliſcente, ex odio copiarum Saxonicarum, ad repellendas earum exactiones, paſſim nobiibus ad arma procurrentibus, Saxonibus vero non emigrantibus, ſed ad defenſionem ſeſe parantibus, poſt inſultus aliquot, tantandem contentio hæc in apertum bellum domeſticum exarſit. Palatinatus enim complures minoris Poloniæ & Ruſſici, ſimul cum exercitibus regni & Lithuaniæ, in TARNOGROD, ſub mareſchallo generali, STANISLAO LEDUCHOWSKI, Succamerario Krzemenecenſi, confoederati, Saxonicas copias vbique perſecuti, iuſtis quoque præliis adorti, vincentes & victi, pacificationem quidem Ravæ confectam, per mediatores ſenatores Leopoli die 24. Ianuarii 1716. firmarunt. Sed & hac vtrinque rupta, iterum aperto Marte decertatum eſt, donec die III. Novemb. 1716. ſub mediatione legati M. Zari Ruſſiæ, tractatus in fundamento emigrationis Sa-

Sa-

Annus	Locus	Succeſſus
1717	Varſauiæ	integra

Saxonicarum copiarum extra fines regni concluſus. In quo tractatu zelo paciſcentium palatinatuum, læſiua iuribus diffidentium, & ciuitatum Prutenicarum puncta ab aula ſacrificata ſunt.

Inde confluxus generalis ſtatuum Lublinenſis, abſque conuentibus prouincialibus, in comitia pacificationis conuerſus, confoederationes omnes, etiam Sendomirienſem, abrogarunt. Perpetuum tributum capitale, & exercitus noui conſcriptio ac ordinatio regi, vſque ad futura comitia biennalia, integra, non rupta, conceſſa & definita. Diſciplina militaris adſtrictior, locatio exercitus ceteraque reipublicæ ſalutaria ſancita. Sed quod non admiſſa vlla voce ordinum, ſenatorii & equeſtris, conſtitutiones prout ſcriptæ, non attentis proteſtationibus nuntiorum, ipſiusque primatis, de oppreſſa republica clamantis, ceteris ſtatibus iam ex tot motibus & calamitatibus patriæ feſſis, & ob diuiſionem animorum inuicem ſibi diffidentibus atque ſilentibus, lectæ & perlatæ typiſque traditæ, hoc multi indigne tulerunt. Mareſchallus nuntiorum idem, qui confoederationis generalis palatinatuum fuerat, STANISLAUS LEDUCHOWSKI, ſuccamerarius Krzemenecenſis, [poſtea palatinus Volhiniæ.]

Con-

Annus	Locus	Successus	
1718 d. 3. Octobris	Grodnae	integra	Confirmationi constitutionum, praecedentium pacificationis comitiorum, tamen cautio salui iuris vetandi addita. Litterae a singulis ordinibus ad M. Russiae Zarum, eductionem exercitus Russici e visceribus regni perurgentibus, & in casum defendendae patriae, motio nobilitatis generalis, denique limitatio horum comitiorum sub eodem mareschallo & sub iisdem nuntiis, absque nouis conuentibus prouincialibus, ad placitum a rege terminum & locum, sancita. Cetera ad recessum futurorum comitiorum reiecta. In his comitiis primum vulnus lethale, libertati dissidentium a religione Romana infligere, vni furibundo sacerdoti, nuntium ex maiori Polonia, propter religionem, clamoribus & tumultu a sede & conclaui equestri detrudenti, ceteri nuntii, non dissidentium tantum, sed etiam suo aliquando praeiudicio, permisere. Mareschallus CHRISTOPHORUS ZAWISZA, Capitaneus Minscensis, iterum.
1719 d. 30. Dece.	Varsauiae	rupta d. 23. Feb.	Ex limitatione antecedentium, continuis altercationibus, sine electione Mareschalli noui protracta. Tandem, vt regiis consiliis obex fieret, internae & extraneae factionis verâ causa, sed praetextu reddendae potestatis in peditatum regni stipendia merentem, ducibus exer-

Annus	Locus	Successus	
			exercituum, a quatuordecim nuntiis, vna exeuntibus, rupta, omniaque ante acta & conclusa irrita facta. Mareschallus nuntiorum idem qui praecedentium fuit.
1720	Varsa-uiae	irrita	Nuntiis plerisque ad electionem Mareschalli, ante redditum imperium ducibus exercituum regni, in peditatum, nolentibus accedere, in vltimo termino legali, Mareschallo priori, ZAWISZO, valedicente, irrita diffluxere, multis nuntiis simul protestantibus, ne senatus quicquam in causis status reipublicae cum rege decernere audeat. Occultam causam rupturae, metum proponendae electionis, viuente rege, ordini equestri dedisse traditur. *Hactenus DAVID BRAUNIUS suum comitiorum catalogum confecit. Nostri nunc est, eundem ad comitia anni 1736. vltima, quae ad effectum peruenere, continuare.*
1722	Varsa-uiae	rupta	Mareschalcus fuit MAXIMILIANUS OSSOLINSKI, thesaurarius curiae, post supremus regni thesaurarius, tandem supremus aulae regis STANISLAI in Lotharingia moderator.
1724	Varsa-uiae	limitata	Tempore horum comitiorum causa Thorunensium agitata & iudicata fuit. Limitata haec comitia Grodnam. Mareschalcus fuit STEPHANUS POTOCKI, Referendarius regni.

Co-

Annus	Locus	Succeſſus	
1726	Grodnæ	integra	Comitia hæc, tum ex limitatione, tum ex lege incidentia, feliciter fuere abſoluta, in quibus conſummata correctio tribunalium Regni & M. D. Lit. Item prouiſum ſecuritati reipublicæ ab extra, per militiæ antiquæ ruſticolarum, *wybrancow* dictorum, renouationem. Præter ea multæ priuatorum gratificationes & diſpenſationes conceſſæ. Mareſchalcus fuit idem STEPHANUS POTOCKI, cum iisdem nuntiis terreſtribus.
1728 a 2. Octobris. ad 16. Octob.	Grodnæ	irrita	Sine electione Mareſchalci. Scipionem mareſchalcalem tenuit primus ex ordine nuntiorum minoris Poloniæ terreſtrium, princeps LUBOMIRSKI, capitaneus Scepuſienſis, poſtea palatinus Cracovienſis, eques velleris aurei, & aquilæ albæ.
1729	Grodnæ	irrita	Statim initio, motu ſuper genere horum comitiorum exorto, non electo mareſchalco, a nuntiis multis ſoluta.
1730	Grodnæ	irrita	Ordines regni ſuſpicionibus, per acrem quorundam promotionem exaſperati, & ob dilatas vacantias, ſummorum regni officiorum, præſertim exercituum ducis, magis irritati, praetextu diplomatis regii ſuper Curlandiae, ducatu in extraneum collato, redhibendi, in ipſis initiis, non ſalutato rege, diffluxerunt.
1732	Varſauiæ	irrita	Extraordinaria hæc comitia, magni duca-

Annus	Locus	Successus	
			ducatus Lithuaniae cum ceteris palatinatibus nuntii, neque ordiri permiserunt, sed cum protestationibus abiuerunt, Rege AUGUSTO II. die I. Febr. in ipso exordio comitiorum mortuo, irrita facta.
1733	Varsauiae	integra	Conuocationis haec comitia, vnanimi consensu senatus & ordinis equestris d. XXIII. Maii in iuratam confoederationem de excludendo omni extraneo principe, & mere Polono, per generalem palatinatuum conuocationem die XXV. Augusti eligendo, desierunt. Iniuriosa tamen in iura dissidentium a religione Romana, contra omnes anteriores confoederationes & constitutiones regni.
1733	Varsauiae	integra	Electionis haec comitia. Palatinatus maioris & minoris Poloniae, STANISLAUM LESZCZYNSKI, d. IV. Sept. elegerunt, pactisque conuentis & duris articulis iuratis oneratum, absque subsidiis, contra Russorum ac Saxonum copias imminentes reliquerunt. Mox discedentes quidam proceres regni & M. D. Lit. e campo electorali, trans Vistulam in villa *Kamien* serenissimum AUGUSTUM, Electorem Saxoniae, d. VI. Octobris elegerunt regem, qui d. XVII. Ianuarii a. 1734. Cracoviae a suis electoribus coronatus. STANISLAUS au-

Annus	Locus	Successus	
			tem a Russorum exercitu Varsaviæ pressus, Gedanum discessit, quo eum persecuti Russi tandem d. XVIII. Februarii obsidione, ciuitatem & villas eius exurentes, maxime presserunt, manum Gallorum ad ostium Vistulæ appulsam, classe sua reiecerunt, oppidumque, post expugnatam MINDAM in portu d. I. Iulii, ad submissionem regi AUGUSTO III. adegerunt. Interea STANISLAUS omni ope destitutus, clam euasit, d. XXVIII. Iunii, vsque dum variis quæsitis ambagibus Regiomontum veniret, quo eum asseclæ eius vbique fere armis Russorum minores, plurimi secuti. Reliqui senatores, partes STANISLAI fortiter tuentes, & extrema cum eo Gedani expectantes, aut captiui retenti, aut beneficiis allecti, donec cum primate, captiuitate fesso, in partes serenissimi AUGUSTI traherentur. Senatores Regiomonti commorantes, sub nomine reipublicæ extra patriam existentis, variis protestationibus & manifestis, coepta Regis AUGUSTI labefactare studuerunt, qui tamen his non attentis, ad conciliandos & alliciendos a se alienatorum animos, tandem a. 1735, d. XVII. Septembris comitia pacificationis instituit.
1735	Varsauiæ	irrita	Comitia hæc, nuntiis instantem euacu-

Annus Locus Successus

uacuationem copiarum auxiliarium vrgentibus, aliis emendationem regii diplomatis hac de causa exarati, in quo nullum euacuationi certum tempus præfixum erat, desiderantibus, continuis disceptationibus, sine electione Mareschalci noui, præcipue quod multi regi Stanislao fauerent, & successum armorum Gallicorum expectarent) legitimo tempore extracto, irrita facta; ministeria tamen belli & pacis summa distributa, tandem in senatus consilium coaluere.

1736 Varsauiæ integra

Pacificatio generalis tandem stetit, Mareschalco VENCESLAO RZEWUSKI, supremo exercitus regni Notario, cui mox palatinatus Podoliæ collatus fuit, nunc simul dux exercitus regni secundus, seu campestris. Comitia hæc extraordinaria duarum hebdomatum spatio absoluta fuere, & consistunt XXVIII. articulis, leguntturque Tom. VI. p. 573. ad 850. vbi & comitia conuocationis & acta interregni inserta sunt.

V.
NOVA LITTERARIA POLONICA.

I. MOnumentum doloris *diuæ memoriæ Serenissimæ MARIÆ IOSEPHÆ, Poloniarum reginæ, cum lacrimis dedicatum, plangente STANISLAO RZEWUSKI, capitaneo Chelmensi, præfecto cohortis loricatæ S. R. M. in exercitu regni. Anno Domini*

1757. Typis S. R. M. Monasterii Poczaiouiensis O. S. B. M. in folio. plagulæ 3. cum dimidia.

Ita scite pulcherrimo hoc in poëmate perillustris auctor, vera imitari, carmenque suum poëtico animare spiritu, & orationem tam apte ligare numeris calluit, vt honori omnino ei sit, tam eleganter lethum magnæ optimæque reginæ planxisse. Vt lectores eo facilius hoc intelligant, & principium & finem memorandi huius epicedii adiecimus. Sic excellentissimus poëta orditur:

SArmatiæ lacrimas; moesti suspiria regni,
Et fatum commune cano, dum flebile lethum
Reginam, caras redamatae gentis amores,
Abripit, orbatosque facit, sine matre Polonos.
Dum pietas viuens, dum virtus corpore clausa,
Linquit triste solum, superasque euadit in áuras,
Dum gemit aula dolens, atroque colore senatus
Induitur: condens se vmbris lucemque perosus,
Dum sceptrum, mors saeua rapit, frangitque coronam,
Dum Rex fit viduus, dumque orphana Lechia plorat.

Sic finit:

Peruolat, æthereas quatiens velocibus alis,
Oras, fama loquax, & magnam fertur ad aulam
Sarmatici Regis, sed tristis nuntia lethi
AUGUSTI metuit lacrimas, sæuumque dolorem.
Vnde, nihil vulgans, fidas peruadit ad aures,
Saxoniæ primi proceris, cui omnia pandit.
Soluitur in lacrimas, incusat tristia fata,
Saxoniæ rerum, fidus primusque minister,
Sarmaticæ gentis decus, & dilecta propago,
Illustrique, comes de BRUHL, Ociescius ortu.

Ille

Ille animo magno, dicenda tacendaque callens,
Audet moesta loqui Regi, celareque fata
Non finit, atque orsus, Regnanti talia dicit:
Aduersam fortem Tibi vincere, maxime regum,
Moris erat semper, toties fortuna triumphos
Est experta Tuos, quam Tu virtute domasti.
Tempus adest, quo te spectat victoria summa.
Reginam coelum Tibi sustulit, vere magno
Pectore, laeta Tibi reddet, post tristia coelum.
Audiit & doluit, Reginæ lugubre fatum,
Heros; Sarmatico cinctus diademate frontem,
Tum pensans di enda, parum subsistit, & ista
Fatur, verba loquens, auro cedroque notanda:
Dura quidem patior; nam vita carior ipsa
Sponsa mihi dilecta fuit, sed pectore grato
Accipiam, quæcunque volet, diuina potestas.
Dixerat & magna moderatus mente dolorem,
Infractum fortemque animum, monstrauit acerbis
Fatis; atque domans fortunam victor abivit.
Fama subauscultat, Regnantis fortia dicta,
Laudibus heroem celebrat, gauisaque, caram,
Principis intrepidi, non offendisse salutem,
Alta petit volitans, & fulminis ocyor alis,
Triste vehit lethum, trans æquora, transque remotas
Oras, ac Reges spectat, gentesque dolentes,
Ingemuere omnes populi; sed Sarmata fusis
Obruitur lacrimis, solatia nulla capessens.
Tandem, fama volans, prope magnum lassa Vavelum, * *Mons Cracouiæ*
Considet, atque tubam ponens, ibi moesta quiescit:
Aspiciensque polum, virtutem in nube corusca,
Delapsam coelis, audit sibi talia fari:

Ma-

Magnæ Reginæ laudes, celebremus vtræque,
Quæ tibi dictabo, calamo tu fcribere cures;
Obfequitur, pennam demens velocibus alis,
Fama loquax veri, fcribitque hæc triftia verba:
Quod virtus dictat, quod fama in marmore fcribit,
Suffufus lacrimis, lege carmen trifte viator.
Illa ego, Sarmaticum quæ geftans fronte coronam,
AUGUSTI cari, viuebam regia coniunx,
Magnis caefaribus, quæ longo fanguinis ortu
Nata fui, numerans proauos, atauofque monarchas
Romani imperii, præfulgida fceptra tenentes.
Illa ego, quæ Siculæ Reginæ mater amata
Delphinæque fui, & natas natosque reliqui
Gentibus ac populis diuerfis, iura daturos.
Illa ego, quæ colui virtutes, turpe fugaui
Ex regno vitium, populofque ad fidera duxi.
Condor in hac vrna, merito plorata MARIA.
Attamen, abftergens lacrimas, nec Lechia plangas.
Intér te & coelum, diuifi pignus amoris,
Namque anima coelum, fed corpore dono Polonos.

2. *Reuerendi patris MATHIÆ CASIMIRI SARBIEWSKI, e focietate Iefu, poemata, ex vetuftis manufcriptis & variis codicillis olim ab auctore diffimulato nomine editis, deprompta & in vnum collecta. Quibus accedit oratio ab eodem habita in translatione corporis D. CASIMIRI. Item epiftolæ ad Stanislaum Lubieńſki, epifcopumPlocenfem. Vilnæ in typographia regia academiæ & vniverfitatis focietatis Iefu MDCCLVII. in 4. Alphabet. I.*

Omnes illi, qui celebre SARBIEVII, Polonorum Horatii, nomen haud ignorant, gratias habebunt plurimum Reuerendo P. ADAMO NARUSZEVICIO, poëfeos in Academia Vilnenfi profeffori

fessori, qui hanc Sarbievii poëmatum, maxima ex parte ineditorum, collectionem edidit, &, vt audimus, plura inedita celeberrimi huius poëtae in publicum prodire iubebit, ad quod efficiendum, & vires & otium ei apprecamur. Nobis superest elenchum huius collectionis adiicere, in qua continentur 1. *Gratulationes oblatae in primo in metropolim suae dioecesis aduentu, STANISLAI KISZKA, episcopi Samogitiae.* 2 *classis epigrammatum.* 2 *Panegyricus. Io. Car. CHODKIEWICZ, Palatino Vilnensi dicatus* 4. *Poëmata varia.* 5. *Himenodora, honore & gloria internuntiis, Io. STANISLAO SAPIEHA M. D. L. Mareschalco & ANNAE CHODKIEWICIAE, palatini Vilnensis filiae, almae Academiae Vilnensis nomine oblata.* 6. *Sacra lithothesis, in prima templi M. V. M. dedicati erectione a patribus collegii Crosensis, societatis Iesu, liberalitate Io. Car. CHODKIEWICZ, palatini Vilnensis fundati, auspicio celebrata A. D. 1621.* 7. *Epistola de Romano itinere, quod Vilna ad imponendum theologiae finem susceperat, A. D. 1622.* 8. *Pompa nuptialis, quam celsiss. principi ALBERTO LADISLAO RADZIWILL, castellano Trocensi, connubium ineunti cum ANNA ZENOVICIA, Castellani Polocensis filia, almae Academiae Vilnensis studiosa iuuentus adornat.* 9. *Odae posthumae, quae in libris lyricorum non habentur.* 10. *Siluiludia Dithyrambica, dum inuictissimus VLADISLAUS IV. Polon. & Suec. Rex venationibus operam daret.* 11. *Oratio, in solenni corporis diui Casimiri translatione, praesente rege Vladislao IV, habita. Vilnae. A. D. 1636.* 12. *Epistolae ad Stanislaum Lubienski, episcopum Plocensem, & huius ad illum.*

3. *Simonis Starovolscii de claris oratoribus Sarmatiae libellus secundum exemplar Florentinum denuo typis exscriptus. Accedit breuis Simonis Starovolscii, eiusque operum notitia, ex Illustrissimi & Reuerendissimi IOS. ANDREAE comitis ZALUSCII, supremi regni Poloniae Referendarii, bibliotheca scriptorum Polonorum*

rum deprompta. Cum præfatione Laurentii Mizleri de Kolof, regni Poloniæ historiographi & Medici Varsauiensis, S. R. M. C. A. Varsauiae, ex typographia Mizleriana Anno 1758. in 8. pl. 5.

De hoc libello nil est, quod dicamus, cum omni ex parte insertus sit huic trimestri.

4. *Traktat o Starostwach, tak w Koronie Polskiey, iako y w Wielkim Xięstwie Litewskim, w przyległych tudzież Koronie y Xięstwu prowincyach, znayduiących się, na Kwestye czyli pytania rozłożony staraniem y pracą M. Stanisława* z Łazow *Dunczewskiego, w przesławniey Akademii Krakowskiey Filozofij Doktora, w Zamoyskiey Astronomij Ordinaryusza, Prawa oboyga Doktora y Professora, Trybunału Ordinacyi Zamoyskiey Assessora, tudzież I. O. Trybunału Koronnego Geometrę przysięgłego &c. Przydane są na końcu tego Traktatu Formuły Przysiąg, ktore przed J. K. M. wykonywane bywaią. w Warszawie, w Drukarni Krolewskiey Mitzlerowskiey, roku Panskiego. 1758.*

hoc. est:

Tractatus de præfecturis, qui tum in regno Polono, tum in M. D. Lithuaniæ & adiacentibus prouinciis reperiuntur, per quæstiones dispositus, opera est studio M. Stanislai in Lazow Dunczewski, Acad. Cracov. Philos. Doct. & Zamoyscensis Astronomi ordinarii, V. I. D. & Prof. Tribunalis ordinationis Zamoyscensis Assessoris, nec non regni tribunalis geometræ iurati &c. In fine huius tractatus additæ sunt: *Formulae iuramentorum*, quæ coram Regia Maiestate expediuntur. Varsaviæ ex typographia Mizleriana. A. 1758. Alphab. 1.

Hic liber de nouo, iussu illustrissimi regni supremi cancellarii, comitis Io. Malachowskii, veri Poloniæ Mæcenatis, & litterarum amatoris, in vsum patriæ typis fuit repetitus. Auctor celebris tam bene ius & historiam præfecturarum descripsit, vt quid addere possis, plane nil inuenias, & iure meritoque hic tracta-

tractatus, non optimus tantum, sed plane in sua materia absolutus censetur. Operæ pretium erit in trimestri sequenti omnia ea, quæ de præfecturis Poloniæ & magni ducatus Lithuaniæ scire oportet, in vsum exterorum recensere. Additæ formulæ iuramentorum vtiles etiam, scituque necessariæ sunt, cum vnumquemque ciuem Polonum haud ignorare deceat, litteratum maxime, qua quisque in administranda republica obligatione sit adstrictus.

5. *Oekonomika ziemiańska generalna, Punktami partykularnemi Interrogatoriami gospodarskiemi, praktyką mieśięczną, Modellu-szami albo Tabulami arythmetycznemi obiaśniona przez Jakuba Kazimierza HAVRA. Panom dziedzicznym, Arendarzom, Oekonomom Attendentom Urzędnikom, Pisarzom drowentowym y wszystkim w pospolitości Dobr Ziemskich Dozorcom pożyteczna, y potrzebna, w ktorey znayduią się dostateczne w Gospodarstwie Informacye, Przestrogi, Notanda rożne, Remedya wszelkiemu Bydłu, osobliwie na Końskie defekta y choroby pomocne, także Folwarcznemu Drobiu, przytym Sekreta doświadczone na wygubienie szkodliwey gadziny powietrzney, ziemney y wodney. Z nowym przydatkiem Geometryi Gospodarskiey, napisaney od W. X. MARCINA BYSTRZYCKIEGO, Societatis Iesu, S. Theologij Doktora, y teraz świeżo przydaney Geografij Polski, przez W. X. Hołowkę, S. J. zkoncypowaney, przedrukowana. w Warszawie, w Drukarni J. K. Mci colleg. Soc. Jesu. Roku Pańskiego 1757.* hoc est:

Oeconomia terrestris generalis, in capitibus peculiaribus, interrogationibus oeconomicis, praxi menstruali, formulis vel tabulis arithmeticis, descripta, ac disposita auctore IACOBO CASIMIRO HAVRO, prædiorum dominis, conductoribus, oeconomis, administratoribus, commeatus scribis, & omnibus, qui latifundiorum curam habent, vtilis & necessaria, in qua reperiuntur solidæ in oeconomia institutiones, cautiones, notanda

varia remedia in morbis omnis pecoris, in primis equorum, nec non vollatibium, ſimul arcana probata ad extinctionem noxiorum inſectorum in aere, terra & aqua, cum nouo appendice geometriæ oeconomicæ R. P. Martini Byſtrzycki, Societatis Ieſu S. Theol. Doctoris, & nunc recenter addita geographia Polona, ſcripta a R. P. Hołowka, Societatis Ieſu. Typis iterum exſcripta. Varſauiæ in typographia S. R. M. collegii Soc. Ieſu. A. 1757. in folio, alphabeta tria, plagulæ quatuordecim.

Multæ in hoc libro reperiuntur annotationes ad oeconomiam pertinentes, & vtiles & ſcitu neceſſariæ, cumque HAURUS in oeconomia, Polonorum ſit auctor claſſicus, in ſequenti trimeſtri vberius de eo diſſeremus.

6 *Iſagoge politica, ſeu magnanimæ iuuentutis Polonæ introductio ad rempublicam liberam, in qua oſtenditur cunctis regium iter ad honores capeſſendos, & rite obeunda munera publica, per IOANNEM RUDZKI, philoſophiæ doctorem & profeſſorem in alma vniuerſitate Cracouienſi. A. MDCLXIV Romæ conſcripta, nunc vero ob inſignem raritatem, argumentique præſtantiam, denuo excuſa, curante Chriſtiano Theophilo Frieſio. Varſaviæ, typis S. R. M. & reipublicae in collegio Scholarum piarum. in 8. plag. 5.*

Egregius hic quidem libellus, res ipſas quod attinet, cum vero iuuentuti elegantiori dicatus ſit, optaremus, vt auctor Latinius ſcripſiſſet, qui in omnibus fere paginis in Latinitatis puritatem peccat. Pro ſpecimine ſtili atque inſtitutionis, duos hic adiiciemus locos, præ ceteris elegantiores: „ Feciſſent hoc „ſuperi, vt pretium virtutis in pretio foret, nullo vnquam tem„pore patria dulciſſima in tantas calamitates, tam graues, tam „frequentes, tam periculoſas incidiſſet: ſed cum illis ſplendidiſ„ſimis ingeniis Tenczyniorum, Koniecpolſciorum &c. conſepul„ta hæc trophæa virtutum, tum demum inſanos aliorum riſus &

veræ

„veræ laudis guſtum non habentes admittent, cum in tantorum
„heroum ſempiternis præconiis, ſera obmuteſcet poſteritas. Pu-
„det illiteratum ſæculum, litterati honoris dum inter ignauos
„ſapere deſipere ſit, dum in hominibus turpiſſimis obſoleſcant
„dignitatis inſignia. Amplectuntur animo nonnulli has ipſas
„virtutum adoreas, qui fieri potius, quam naſci nobiles percu-
„piunt, ſed partim labore Herculeo, partim interrupta quadam
„hoc in paſſu laudabili conſuetudine, ab ipſo aditu deterrentur.
„Optandum tamen eſt, vt publicis admouendi negotiis, publi-
„ca de ſua indole referant teſtimonia, dum in animo exculto,
„nihil agreſte ſit, nihil inhumanum. Præclaros ergo virtutis a-
„lumnos & Apollini conſecratos tuum erit, mi fili, in oculis &
„corde deferre, vt ſtudia humanitatis, & ea, quæ bono condu-
„cant communi, ex ſacrario pectoris eruditi deguſtes.
„ Redeamus ad conſilia danda, reſque, de quibus conſultant
„omnes, quinque a magno Ariſtotele aſſignatas. Nam ſiue de
„apparationibus pecuniarum, ſiue de bello & pace, ſiue de cu-
„ſtodia regionis, ſiue de iis rebus, quæ importantur & expor-
„tantur, ſiue denique de legum latione deliberant cuncti. In
„commerciis terra marique tractandis cum Pruthenis, Hollandis,
„Gallis, Italis, Germanis, Moſchis, Vngaris, Turcis, a quibus
„linum, aromata, ſericum, arma, pelles, vina et varia orna-
„menta, non tam neceſſitati, quam luxui ſeruientia, aduehuntur,
„a nobis frumentum, ſal, et maxime aurum, euehitur, quid tan-
„dem emolumenti, et quid detrimenti reſpublica capiat, quan-
„topere conſiderandum eſt Dulciſſima patria, non te circum-
„ſtantia tela, non hoſtium infinita multitudo, non fraudes, non
„bella, ægrotam et exhauſtam reddiderunt, armis enim arma,
„fraudibus conſilia oppoſuiſti validiſſima: eſt quædam in venis
„lues peſtifera, quæ te corrodit et tacito vulnere enecat proſtra-
„tam, nimirum ipſa commercia: hæc ſunt tua grauiſſima diſcri-

„mina, quibus bene ordinatis viues, et viues tam diu, quam „diu virtus sua explicabit perennatura victoriarum trophaea.

7. *La Metropolitaine de Leopol, avec ses Archeveques jusqu' à notre tems, par Chretien Gottlieb Friese. De l' imprimerie Mizlerienne à Varsovie. MDCCLIIX.*

hoc est:

Metropolis Leopoliensis cum suis Archiepiscopis, ad nostra vsque tempora, auctore Christiano Theophilo Friesio. Ex typographia Mizleriana, in 4. plag. 9.

Non primum hoc opus est, in quo doctissimus Friesius, se bene in rebus litteratis Polonis versatum esse, monstrauit, qui plura adhuc in litterarum Polonarum emolumentum scripta vtilia editurus spem nobis facit. Recenseamus nunc breuiter nouissimum hoc scriptum. Multi scripserunt vitas episcoporum Polonorum, nempe TRETERUS Posnaniensium, DAMALEWICZ et BUZENSKI archiepiscoporum Gnesnensium, SKROBISZEWSKI archiepiscoporum Leopoliensium, STAROWOLSKI, episcoporum Cracouiensium, DAMALEWICZ Vladislauiensium, DLUGOSS, TRETER et ZALASZOWSKI Posnaniensium, KOIALOWICZ Vilnensium, LUBIENSKI Plocensium, ROSTEUCHER, WYDZGA et TRETER Varmiensinm, MLODZIANOWSKI et KOIALOWICZ Samogitiae, HARTKNOCH Culmensium, PIECHOWSKI Chelmensium, OKOLSKI Kiiouiensium et Czerniechouiensium, deficiunt adhuc Luceoriensium, Premisliensium, Camenecensium, Liuoniae et Smolensciae.

Metropolis non fuit Leopoli, sed Halicii fundata a CASIMIRO magno, et ob incursiones Tartarorum translata Leopolim a. 1414. Euincendo hanc veritatem historicam errores quorundam scriptorum Polonorum corrigit auctor, et deinde vitas archiepiscoporum enarrat omnes, quas legere haud poenitebit. Ecce catalogum omnium archiepiscoporum Haliciensium et Leopoliensium.

1. Chri-

1. *Christinus*, 2. *Antonius*: 3. *Matthias*, 4. *Bernardus*.
5. *Iacobus*, 6. *Trąmba* Nicolaus
7. *Rzeszowski* Ioannes, vltimus archiepiscopus Haliciensis
8. *Odrowąż* Ioannes, & primus Leopoliensis.
9. *Sanoc* Gregorius de
10. *Długoss* Ioannes
11. *Strzelecki Wątrobka*, Ioannes.
12. *Borszißzewski* Andreas.
13. *Wilczek* Bernardus.
14. *Starzechowski* Petrus.
15. *Ligęza* Felix
16. *Tarlo* Paulus.
17. *Słomowski* Stanislaus.
18. *Sienski* Ioannes
19. *Solikowski* Ioannes Demetrius.
20. *Zamoyski* Ioannes
21. *Prochnicki* Ioannes Andreas.
22. *Grochowski* Stanislaus.
23. *Krosnowski* Nicolaus
24. *Tarnowski* Ioannes.
25. *Korycinski* Albertus.
26. *Lipski* Constantinus.
27. *Zielinski* Constantinus.
28. *Popławski* Nicolaus
29. *Skarbek* Ioannes.
30. *Wyzycki* Ignatius Nicolaus
31. *Dembowski* Nicolaus.
32. *Lubienski* Alexander Vladislaus.

Inscriptus hic liber est Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino, archiepiscopo hodierno, comiti LUBIENSCIO, vero musarum non solum patrono, sed & litteratissimo praesuli, cu-

ius

ius amor sincerus erga Deum, ecclesiam, regem, patriam, litteratos et omnes viros bonos, merito in toto celebratur regno.

8. *Adama Kempskiego Sekretarza Laski Wielkiey Koronney Myśli o BOGU y Człowieku, w mowie człowieka y Ducha wyrażone. Księga pierwsza w Warszawie, w Drukarni scholarum piarum. Anno 1756.* hoc est:

Adami Kempski, supremi regni Mareschalci Secretarii, cogitationes de DEO et homine, per colloquium hominis & animæ explicatæ, liber primus. Varsauiæ ex typographia scholarum piarum. A. 1756. in 8. Alphabetum 1.

Qui poëmata celeberrimi auctoris degustarunt, vno ore celebrant eorum excellentiam omnes. Quod si exteri poemata idiomate Polono conscripta legerent, eandem inuenirent in clarissimo auctore elegantiam atque eruditionem, qualem in Cochanouio et Ianicio, Poetis Latinis, admirati sunt. Expectatur a poëseos Polonæ amatoribus summo cum desiderio continuatio huius operis.

9. *Rozmowa Filozoficzna o Boskich procz Iestności Przymiotach przeciw niegodziwie sobie przywłaszczaiącym nazwisko DEISTOW przez Filozofij uczących się Kawalerow in Varsauiensi nobilium collegio scholarum piarum miana, roku MDCCLVIII.*

Colloquium philosophicum de diuinis præter vnitatem qualitatibus, contra illicite sibi nomen attribuentes Deistas, a philosophiæ cultoribus in Varsauiensi nobilium collegio scholarum piarum habitum, anno 1758. in 8. plag. 7.

Reuerendiss. P. A. WISNIEWSKI, qui, tum de litteris, tum de iuuentute nobili Poloniæ, tam præclare diu iam meruit, auctor est harum orationum, tam eleganter quam erudite scriptarum, et cuius sub directione varii iuuenes oratores publice eas cum applausu prouunciarunt.

FINIS

BIBLIOTHECA JAGELLONICA

Biblioteka Jagiellońska
stdr0018346